IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS PRO CHRISTIANIS AD SENATVM ROMANVM DEFENSIO I.

Eiuſdem pro Chriſtianis ad Antoninum Pium Imperatorem Romanum eiúſque filios, defenſio .2.

Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

Eiuſdem Perionij in eaſdem obſeruationes.

Ad D. Ioannem Burgium Oliuetani Cœnobij in Biturigibus præfectum, quem abbatem vocant.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud Iacobum Dupuys, ſub inſigni Samaritanæ, è regione collegij Cameracenſis.

1554.

Cum gratia & priuilegio.

IOACHIMVS PERIONIVS BENEDICTINVS CORMOERIACENVS IOANNI BVRGIO OLIVEtani Cœnobij in Biturigibus præfecto quem abbatem vocant, S. P. D.

MAXIMA vis eſt amicitiæ, Burgi, quæ facit, primùm vt vnus quaſi animus ex pluribus fiat: deinde vt eorum, quos ſemel coniugauerit, omnia ſint communia, opes, honores, ſtudia, voluntates, conſilia atque virtutes. Ego hac opinione imbutus, cùm tu initio penè ætatis, id eſt, cùm primùm mihi cognitus es Symphoriani Trunelli opera, quem tu morum eruditioniſque magiſtrum habebas, virum & doctiſſimum, & quo familiariſſimè quamdiu vixit, vt ſcis, vſus ſum, te ad amicitiam meã contuliſſes: nihil prius habui, quàm vt ea tibi officia & deferrẽ & præſtarem, quæ amor in te meus, primus ille quidem, ſed iam tum maximus propter egregiam indolem, quæ in te elucebat, poſtularet. Itaque & præſentem verbis hîc, & abſentem literis cùm Toloſæ, tum Aureliæ te in iure ciuili verſantem, ſæpe hortatus ſum: hic quidem, vt Ciceronem tibi vnum proponeres ad imitandum, Græcáque cũ Latinis coniungeres, illic vt hanc ipſam ſtudiorum rationem, quam hortante me delegiſſes, & in qua magnos progreſſus feciſſes, teneres atque ſequerêre: nihilque poſteà, vt te ſcire arbitror, prætermiſi, quod ad meam illam perpetuam in te voluntatem declarandam pertineret, ad illud tempus, cùm Italiam omnium bonarum diſciplinarum altricem tibi viſendam cenſuiſti. Intermiſſa eſt enim tum mea illa te ad maiora ſemper cohortandi per literas conſuetudo tanta locorum diſiunctione, etſi officiorum voluntas mihi non defuerit, aut tui in me non dicam penitus obliuione deleta, ſed ne intermortua quidem recordatio. Poſteà verò quàm te in patriam multò doctior, quàm abijſſes, recepiſti, nũquam deſtiti, quotieſcunque licuit, non ſolùm vetere illo meo more repetito, ſed etiam nouo ſuſcepto, te ſponte currentem, & ad retinendam perpetuãdámque illam ſtudiorum tuorum rationem, & ad munus præfecturæ, quæ tibi mãdata eſt, ex tua dignitate tuorúmque vtilitate exequendum incitare. His quidem tot tantiſque meis in te officiis, quæ à meo in te amore profecta eſſent adhuc extantibus, non committendum mihi putaui, vt officium quod iam multis qui mecũ non eo amicitiæ genere coniuncti ſunt, quod me tecum conſociauit, præſtitiſſem, à me tu quidem iure tuo, id eſt, eius talis ac tantæ amicitiæ, quæ tibi mecum eſt, diutiùs tacitè (ſic enim interpretor) poſtules, aut poſtulare poſſis. Quod ergo ſæpe ſumma volũtate feci, vt in multorũ eorúmque clariſſimorum virorũ nomine libros, quos vel per me confeciſſem, vel à Græcis tranſtuliſſem, diuulgarem: id nunc demum ad tuũ, quod mihi amabiliſſimum eſt, transfero. Iuſtini enim philoſophi ac martyris, cuius opera omnia quæ ex Principis Bibliotheca abhinc tres annos prodierunt, Dei cõceſſu ac munere cõuerti, orationes duas quibus Chriſtianorũ cauſam & nomen apud Romanos principes & Senatũ ſummo ſtudio, maximáque animi contentione defendit, ad te eo conſilio mitto, vt eas perpetuæ meæ in te fidei amoriſque mei ſingularis teſtes velim accipias. Prior quidẽ manca eſt corruptáque multis in locis, in qua quaſi ſupplenda, atque corrigẽda eam, quam potui, adhibui diligentiam: id quod & ex Græcarum noſtrarúmque collatione, & ex commentariolis onſtris intelligere tibi atque

omnibus licebit. Poſterior eſt illa quidem & integrior & longior, ſed tamen ei extremæ, annexæ adiunctæque ſunt epiſtolæ duæ, non à Iuſtino, quemadmodum ex nominibus eorum qui eas miſerunt, id eſt, eorum apud quos dicit, intelligi poteſt, ſed ab aliquo, qui eas ad rem, quæ in prima omnium agitur, pertinere exiſtimauit. Ex harum autem lectione magnum te fructum voluptatémque percepturum eſſe ſpero, non ſolùm quòd noſtra omnia in eo genere ac loco tibi eſſe, at ſemper fuiſſe ſoles dicere, ſed multò etiam magis quòd ea quæ nobis ab alienis & abhorrentibus à noſtra diſciplina religionéque hominibus iam tum obijciebãtur, grauiſſimis firmiſſimiſque rationibus à Iuſtino refelli intelliges. Mihi enim videtur Iuſtinus ipſe, quod etiam tibi viſum iri confido, cùm & præſtanti ingenio eſſet, & multa doctrina magnáq; dicendi diſſerendique facultate præditus, præſtantiſſimum ſe & acerrimũ Chriſtiani nominis ac religionis propugnatorem patronúmque præſtitiſſe, cùm omnibus in locis, tum vel maximè in eo quo illorum exemplo atque approbatione & nomen ipſum Chriſtianorum quo appellamur, & religionẽ cultúmque quem Chriſto tribuimus, defendit. Romani, exempli cauſa, hoc ipſo Chriſtianos & oderant, & ſupplicijs acerrimis afficiebant, & morte mulctabant, quòd Chriſtiani dicerentur, Chriſtúmque colerent, cùm intereà nec Stoicos, nec Platonicos, nec Pythagoreos, alióſq; philoſophos qui à principe diſciplinæ nomen habuerunt, ſimilibus pœnis coërcuerint: ijdémque & Iouem, & Saturnum alióſque quos Deos habebant, colebãt atque venerabãtur, nec tamen proptereà vllo ſe ſupplicio dignos exiſtimabãt: ex quibus quid neceſſariò ſequatur, intelligis. Ea etiam quæ de Chriſto credimus & profitemur, veluti eum ex virgine natum eſſe, edidiſſe miracula, in crucem ſublatum eſſe, excitatũ eſſe à mortuis, aſcendiſſe in cælum, defendit eodem modo. Eam verò quam reſurrectionem corporum vocamus euenire poſſe, exemplo tam certo claróque probat, vt nemo negare poſsit. Quid dicam quot quámque firmis rationibus, vt neceſſitatem fatúmque Stoicorum tollat, liberum probet arbitrium, quod vocamus? Iam verò illud quod de more & conſuetudine quam primi illi noſtræ religionis homines in rebus diuinis, maximéque in myſterio Euchariſtiæ ſeruabant, tradit in poſteriore oratione extrema, non ſolùm iucundum eſt ad commemorãdum & tibi & bonis omnibus, ſed valet etiam per ſe plurimùm ad perſuadendum Eccleſiæ deſertoribus, verum Chriſti corpus, verúmque ſanguinem in ſpecie panis & vini contineri, nec dubitare iam quin ſacramentum hoc rectè ab Eccleſia, atque id non nunc primùm aut paulò antè ac nuper, vt ipſi volunt, nominetur, cùm Iuſtinum qui vicinus apoſtolorum fuit, eo verbo in ea re vſum eſſe cognoſcant. Hæc igitur atque alia permulta eiuſdem generis legentẽ, incredibili ſpero te affectum iri lætitia, túmque etiam maiore cùm hunc ad te fructum ab amicitia noſtra proficiſci recordabere. Quod ſi facies, atque adeò quia facies, non eſt mihi dubiũ, quin munuſculum hoc eo animo ſis accepturus quo tibi à me mittitur. Vale. Lutetiæ Pariſiorum pridie Non. Iunij. M. D. L I I I I.

IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS

A APOLOGIA PRIMA PRO CHRISTIANIS, AD SEnatum Romanum, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

QVÆ autem heri & paulò antè in vrbe veſtra geſta ſunt,
Vrbicio præfecto, Romani, quæque ſimili ſtultitia &
amentia vbique à præfectis aguntur, me pro nobis, qui
ſimiles ſumus & fratres, etiam ſi ignoretis, nec velitis
propter magiſtratuum honorúmque qui ducuntur, glo-
riam, hæc verba facere coëgerunt. Vbique enim quiſquis
B à parente, aut vicino, aut liberis, aut amico, aut fratre, aut viro, aut ab vxo-
re, ſi alij deſint, ad meliorem mentem traducitur, vt eos prætermittã qui-
bus perſuaſum eſt eos qui iniuſtè intemperatéque vixerint, in æterno igne
pœnas eſſe daturos: eos autem qui virtutem coluerint, Chriſtíque vitam
imitati fuerint (dicimus autem eos qui Chriſtiani effecti ſunt) vnà cum
Deo futuros, ſine vllo ſenſu mali & doloris, quòd ſe totos ad bonum virtu-
témq; ita contulerint, vt vix vllo modo à ſententia abduci potuerint.

* *Deſunt.* *

Ac mali genij qui nos oderunt, ac nobiſcum inimicitias exercent, iu-
C dicéſque eiuſmodi ſibi addictos & cultores habent, nos vt principes tan-
quam dęmoniis agitati interficiant, perficiunt. Sed vt eorum omnium, quę
Vrbicio præfecto geſta ſunt, cauſam perſpiciatis, rem vt geſta eſt, narrabo.
Mulier quædam viro qui libidini deditus erat, nupſerat. Ea cùm antea li-
bidinoſè vixiſſet: poſteà quàm Chriſti præcepta & diſciplinam cognita
habuit, ſe ad meliorem frugem mentémque conuertit, viróque vt idem
faceret, ſuadere conabatur præceptis proferendis, proponendáque pœna,
D quę in ęterno igne maneret eos, qui non pudicè, nec ex ratione recta de-
gerent. Ille autem, qui in eadem libidine perſtaret, factis ſuis vxorem à ſe
abalienabat. Nefas enim & impium rata mulier, deinceps cum viro habi-
tare, qui contra legẽ naturæ & contra ius viam libidini ac voluptati omni
ex parte patefacere ſtuderet, à coniugio diſiũgi ſepararíq; cõſtituit. Cúmq;
ab eo propoſito abduceretur à ſuis, qui ei etiam manendũ ſuaderent, quòd
ſpes eſſet, fore vt aliquando vir eius vitam moréſq; mutaret, vim ſibi in-
ferens, inuita manſit. Poſteà verò quàm vir Alexandriã profectus, grauio-
ra & indigniora ſcelera admittere renunciatus eſſet, ne ſocia & particeps
eius ſcelerũ flagitiorúmque fieret, ſi in coniugio maneret, victúq; cõmuni
E vteretur, & in eodẽ lecto cubaret, dato eo quod apud nos repudium di-
citur, ſeparata eſt. Præclarus autem eius vir, qui lætari debuiſſet, mulierem
quæ libenter iampridem cum ſeruis ac conductis operis, ebrietate omníq;
ſcelere ſe oblectans feciſſet, ea quidem facere deſtitiſſe, ſéque ab eis ab-
ſtinere voluiſſe, cùm ipſe nollet, eam ſe à coniugij nuptiarúmque iure ac

fœdere diſtraxiſſe: eam in crimen vocauit,& accuſauit, quòd eſſet Chriſtiana. Ac illa quidem libellum tibi Imperator attulit,petens vt ſibi rebus ſuis conſulere liceret, deinde obiecto crimini ſe reſponſuram, cùm rebus ſuis conſuluiſſet,promiſit,ídq; cóceſſiſti. Tum verò ille qui aliquando vir eius fuerat, cùm iam nihil in præſens in eam dicere poſſet, in Ptolemæum quendam in quem Vrbicius animaduertit, quémque præceptorem in Chriſtiana diſciplina illa audiuerat, impetum fecit hoc modo. Centurioni qui Ptolemæum in vincula coniecerat, & quem amicum habebat, perſuaſit,vt ex Ptolemæo hôc vnum quæreret, num eſſet Chriſtianus.Ptolemæum veritatis ſtudioſum, non fraudulentum, neque mendacem,cùm Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſſet, in vinculis Centurio eſſe voluit,eúmque in carcere diuturna pœna afflixit. Ad vltimum cùm in Vrbicij conſpectum productus,ſimili modo hoc vnum rogaretur,num Chriſtianus eſſet, rurſum ſibi recti virtutíſque ex Chriſti doctrina conſcius, diuinæ virtutis diſciplinam confeſſus eſt. Qui enim ſe eſſe negat, is aut rem quam improbauit negat, aut certè re indignum ſe & ab ea alienum ſciens, vitat confeſsionem: quorum neutrum in verum Chriſtianum cadit. Cúmque eum ad ſupplicium Vrbicius rapi iuſsiſſet, Lucius quidam, qui etiam Chriſtianus erat, cùm ita contra ius & æquitatem iudicium fieri videret, his verbis cum Vrbicio egit, Quæ (malum) ratio te eò inſaniæ adegit, vt hunc, quem nec adulterij, nec ſtupri, nec cædis, nec furti, nec rapinæ, nec denique vllius ſceleris crimine conuictum haberes, ſed Chriſtiani tantùm nominis appellationem profitentem,pœna capitis afficeres? Non iudicas, Vrbici, ex Pij imperatoris, nec filij Cæſaris qui eſt Philoſophus, nec Senatus dignitate. Ille Lucio qui nihil aliud reſponderat,Mihi, inquit, tu quoque videris eſſe huiuſmodi:qui cùm maximè reſpondiſſet, eum etiam rapi ad mortem iuſsit, gratiam ei ſe habere profitentem, quòd ſe ab improbis talibus dominis liberatum eſſe ſciret, & ad parentem regémque cælorum proficiſci. Tertius etiam alius cùm acceſsiſſet, morte mulctatus eſt. Sed ne quis hoc dicat, Omnes igitur vobis ipſi mortem conſciſcite, & ad Deum iam proficiſcimini, nec nobis negotium faceſſite: nos cur & hoc minimè faciamus, & in quæſtionibus ſine metu magnáque fiducia & quaſi contumacia confiteamur, exponam. Mundum hunc à Deo non temerè & caſu conditum eſſe didicimus, ſed generis hominum cauſa: eúmque delectari iis qui ea quæ in ipſo inſunt imitantur, paulò antè diximus, eóſque deteſtari qui ea quæ praua ſunt, aut re aut verbo amplectuntur & approbant. Ita ſi omnes noſmetipſos interficiemus,cauſa erimus,quantũ in nobis eſt,cur nõ aliquis & procrearus ſit,& diuinis præceptis inſtitutus,aut etiam non ſit genus hominum:quod ſi faciamus,diuino cõſilio ipſi quoq; aduerſabimur.In quæſtionibus porrò nõ negamus,quòd nullius mali ac ſceleris nobis conſcij ſimus, impiúmque & nefas ducamus non in omnibus verum fateri, id quod etiam Deo gratum eſſe ſcimus:vóſque nũc à prauis opinionibus, quibus anteà infecti fuiſtis,liberare ſtudeamus. Quòd ſi quem fortè hæc

ſubit

A ſubit cogitatio, nos ſi Deum adiutorem profiteremur, nunquam, vt iactamus, ab iniquis & improbis ſuperatum iri, affectúmque ſuppliciis, hoc etiã refellam. Deus cùm hãc rerum vniuerſitatem effeciſſet, terrenáque hominibus ſubieciſſet, cæleſtiáque elemẽta ad frugum fructuúmque copiam & abundantiam temporum viciſsitudinibus diſtinxiſſet, & ornaſſet, atque hanc diuinam legem definiiſſet, quæ eadem hominum etiam cauſa procreaſſe videtur: hominum quidem eorúmque quæ cælo continentur, angelis, quos ea de cauſa parauit, prouidentiam procurationémque tradidit: angeli autem qui hunc ordinem deſeruiſſent, cum mulieribus concubuerunt, liberóſque procrearunt, iíque ſunt qui vulgò dæmones nominantur, B & præterea reliquum hominum genus ſeruitute oppreſſerunt, quorũ partim magicis ſcriptis, partim metu & ſuppliciis, partim diſciplina ſacrorum odorum incendendorum, & libationum inuexerunt, quæ deſyderarunt omnia poſteà quàm cupiditatibus perturbationibúſque ſeruierunt: atq; inter homines cædis, bellorum, adulteriorum, ſtuprorum, libidinum vitiorúmque omnium ſemina ſparſerunt. Itaque & Poëtæ & fabularum auctores cùm angelos dæmonéſque qui ab eis procreati ſunt, ignorarent ea feciſſe in mares, fœminas, ciuitates & gentes, quæ literis mandarunt, Deo ipſi ac liberis quaſi eius ſemine procreati eſſent, & eius fratrum qui dicuntur, C itémque liberorum qui ex illis nati ſunt, Neptuni, & Ditis, attribuerunt. Quòd enim vnuſquiſque angelus ſibi ac liberis nomen impoſuiſſet, eo vnumquemque appellauerunt. Nomen autem omnium rerum parenti cuius generatio non eſt, nullum eſt impoſitũ. Quocunque enim appelletur nomine, antiquius habet nomẽ eo quod impoſitum eſt. Hæc verò, Pater, Deus, Conditor, Dominus, non ſunt nomina, ſed ex beneficiis, & operibus appellationes. Illius autem filius, qui ſolus propriè filius dicitur, Verbum quod ante orbem conditum & vnà cum eo erat, & natum erat tãtũ, cùm per ipſum principio omnia creauit atque ornauit: Chriſtus quidem ex eo dicitur, quòd Deus per eum & inunxit & ornauit omnia, quod etiam nomen ignotam habet ſignificationem: quemadmodum Dei quo- D que appellatio non eſt nomen, ſed de re quæ exprimi non poteſt inſita hominum naturæ opinio. Ieſus porrò hominis & conſeruatoris nomen ſignificationémque complectitur. Nam homo quoque, vt paulò antè diximus, factus eſt Dei & Patris conſilio ac voluntate, hominum qui credunt ſalutis cauſa ex aluo editus, dęmonúmque exitij & euerſionis. Id quod ex iis quæ nunc oculis teſtibus fiunt, intelligere poteſtis. Multos enim qui à dæmonibus occupabãtur, & in vniuerſo orbe, & in veſtra vrbe multi noſtrorum hominum qui Chriſtiani dicuntur, adiurantes Ieſu Chriſti qui Pontio Pilato prętore cruci ſuffixus eſt, nomine, cùm aliis omnibus, E vt ita dicam, exorciſtis, magíſque curati non eſſent, curarunt, atque hoc etiam tempore curãt, eiectis expulſiſque ex corporibus hominũ dęmonibus. Itaque Deus non eſt ſic mundum deleturus & euerſurus, vt nulli ſint iam futuri improbi angeli, dæmones, & homines, propter Chriſtianorum ſemen & genus quod ipſum cauſam rerum eſſe intelligit. Nam niſi hoc

eſſet,ne vobis quidem hæc iam à malis geniis fieri vllo modo poſſent,ſed A
ignis iudicij delapſus omnia diſsiparet & incenderet,quemadmodum etiã
eluuies ſuperioribus ſeculis nemini pepercit, niſi vni illi qui à nobis No-
chus appellatur,à vobis Deucalion,eiuſque familiæ,ex quo rurſus tã mul-
ti nati ſunt,quorum partim improbi,partim boni fuerunt. Sic enim con-
flagrationem fore cenſemus,non, vt Stoicis placet, omnium rerum inter
ipſas mutatione, quod turpiſsimum videtur:nec fato homines facere aut
pati quicquam eorum quæ fiunt & eueniunt,iudicamus, ſed voluntate ac
iudicio vnumquenque bene agere aut peccare: malorúmque geniorum
opera bonos,veluti Socratem eiúſque ſimiles, exagitari & in vincula cõ-
iici:Sardanapalũ autem,Epicurum,ac ſimiles in rerum abundantia & glo- B
ria beatæ vitæ compotes videri: quod cùm non intellexiſſent Stoici, fati
neceſsitate fieri omnia cenſuerunt.Quoniam autem principio tam ange-
lorum genus, quàm hominum iudicij ſui ac voluntatis Deus effecit,iure
pro iis quæ ſceleratè fecerint,pœnas in æterno igne luent. Omnium verò
qui generati ſunt, hæc natura eſt, vitium atque virtutem accipere poſſe.
Neque enim quicquam horum laude dignum eſſet, niſi illi vtramque in
partem conuertere & quaſi flectere ſe poſſent. Hoc verò etiam declarãt ij
homines,qui vbique & in ferendis legibus rationem rectam ducem ſecu-
ti ſunt, & in philoſophia verſati:quòd hæc fieri,& illa prętermitti iubent.
Ac philoſophi illi qui Stoici appellantur, in ea philoſophiæ parte,quæ de C
moribus pręcipit,eadem conſtanter amplexantur,vt intelligantur non re-
ctam viam & rationem ſecuti in ea diſputatione,quæ de principiis & in-
corporeis rebus habetur.Si enim fato quæ fiunt,ab hominibus fieri dicẽt,
profectò cùm vertantur,commutentur & recidant in eadem ſemper,eorũ
tantùm quæ intereunt,notionem & ſenſum habuiſſe videbuntur:Deúm-
que ipſum concedent & per partes vniuerſi & per totum in omni mali-
cia vitióque verſari,aut nihil eſſe vitium ac virtutem:quod quidem omni
ſapienti cogitationi, rationi, mentíque eſt contrarium . Eos etiam qui ex
Stoicorum diſciplina prodięrunt,quoniam ratione morali ornati fuerunt,
quemadmodum in nonnullis poëtæ,propterea quòd innatum ſit vniuer- D
ſo hominum generi rationis ſeminarium,in odio fuiſſe,& necatos eſſe ſci-
mus:Heraclitum quidẽ,vt antè diximus, & Muſonium his in locis,alióſ-
que ſcimus.Dæmones enim,id quod ſuprà dictum eſt, hoc egerunt ſem-
per,vt omnes etiam qui quoquo modo ex ratione degere , & vitia decli-
nare ſtuderent,in odia incurrerent. Nihil autem mirum eſſet,ſi operã da-
rent,vt ij inuiſi eſſent, qui ex rationis ſeminis parte degunt : Sed eos qui
totius rationis ac Verbi,id eſt Chriſti cognitionem & cõtẽplationẽ in vi-
ta ſequuntur ducem, ac multo etiã magis inuiſos reddere inueniũtur:Atq;
iidem æterno ignis ſupplicio quo digni ſunt,afficientur . Si enim iam ab
hominibus Ieſu Chriſti nomine ſuperãtur,ex eo pœnæ quas & illi & ij qui E
eos colunt,in perpetuo igne luent,intelligi poſſunt . Sic enim & prophe-
tæ omnes prædixerunt fore,& Ieſus præceptor noſter docuit. Quãobrem
ego quoque ſpero fore,vt aliquis eorum qui ſunt in nomine & gloria,me
inſidiis

A inſidiis appetitum cruci ſuffigat, aut etiam Creſcens, non philoſophus, ſed vanitatis oſtentationiſque ſtudioſus. Neque enim dignus eſt philoſophi nomine, qui quidem ea quæ ignorat publicè teſtetur, & Deum eſſe negare, & impios ac ſceleſtos eſſe Chriſtianos, id quod ad gratiam voluptatémque multorum, qui in errore verſantur, facit. Si enim in Chriſti diſciplina verſatus non eſt, & in nos incurrit & irruit, planè improbus eſt, multóque idiotis deterior, qui ſæpe prouident, ne de iis quæ neſciunt, loquantur, falſúmq; pro teſtimonio dicāt. Sin verſatus eſt, aut eius excellentiā nō intelligit, aut ſi intelligit, ſed ne Chriſtianus eſſe videatur, hęc facit: is profectò multo ignobilior & deterior eſt, quem opinionē rationis aliena & cautione idiotę ſuperent. Hoc enim vobis velim perſuadeatis, me ponēdis quibuſdam huius generis quæſtionibus comperiſſe atque demonſtraſſe, B nullam prorſus in eo ineſſe cognitionem & ſcientiam. Me autem id quod res eſt dicere, argumento eſt, quòd niſi ſermo qui inter nos eſt habitus, ad vos perlatus ſit, paratus ſum etiam iterū apud vos de iiſdem rebus diſputare: quæ quidem res planè regia erit. Sin autem vobis & meæ interrogationes notæ ſunt, & illius reſponſiones, cum nihil ſcire penitus, vobis exploratum eſt: aut ſi etiam ſcit, ſed propter eos qui audiunt, non audet dicere Socratis imitatione, non philoſophus, vt antè dixi, ſed gloriæ cupidus eſſe oſtenditur, qui ne Socraticum quidem illud, quod amore dignum eſt, colat. quanquā non eſt magis colendus, pluríſque faciendus homo, quàm C veritas. Fieri autem non poteſt, vt Cynicus philoſophus, qui indifferētem finem abiecit, bonum ſciat, niſi indifferentiæ. Sed ne quis dicat id quod ab iis qui philoſophi habentur, dicitur, ea quæ à nobis proferuntur futilia & terrores eſſe, malos ignis æterni affectum iri ſupplicio: nóſque cenſere hominibus bene & ex virtute viuendum eſſe metus cauſa, non quòd præclarum honeſtúmque illud ſit: breuiter reſpondebo, ni ita ſit, non eſſe Deum, aut ſi ſit, eum non curare res humanas: nihílque loci virtuti ac vitio relinqui, &, quemadmodum paulò antè dixi, latores legum iniuria eos qui præcepta honeſta violent, ſupplicijs coërcere. Quoniam autem iniuſti illi non ſunt, eorúmque parens per Verbum eadem facere docuit: ij qui D eis aſſentiuntur, non ſunt in culpa. Quòd ſi quis diuerſas diſſimiléſque hominum leges proferat & obiiciat, apud nonnullos hæc honeſta eſſe, illa turpia: apud alios autē ea quæ apud illos in vitio ſint, laudi duci, & quæ præclara ſint ea vituperari: is quæ contrà dicātur, audiat. Nos quidem improbos etiam angelos leges ſuæ ipſorum improbitati maliciæque ſimiles tuliſſe ſcimus, quibus ſimiles effecti homines delectantur: rectáque ratio, ſi in publicum prodierit, non omnia decreta honeſta præclaráque eſſe docebit, ſed partim improba, partim honeſta Itaque à me quoque eadem ac ſimilia contra hos tales proferentur, dicentúrque pluribus, ſi neceſſe ſit. Nunc autem ad propoſitum reuertor. Hoc quidem conſtat, noſtra omni E humanæ diſciplinæ præſtare, propterea quòd totius rationis factus eſt particeps & corpore, & ratione, & animo Chriſtus, qui cauſa noſtra apparuit. Quæ enim præclarè ſemper diſſeruerunt & inuenerunt tam philoſophi,

quàm ſcriptores legum, ea ab illis quadam parte rationis, id eſt cognitione & inuentione elaborata ſunt. Sed quoniam non omnia quæ rationis Verbíque ſunt, qui Chriſtus eſt, cognita habuerunt, & à ſe plerumque diſcreparunt, factum eſt, vt ij qui multis antè ſeculis Chriſti eſſe ad eúmque pertinere conſtituti ſunt, cùm quantum humanæ rationi licet, res conati eſſent cognoſcere ac demonſtrare, tanquàm impij, ſceleſti & futiles, in iudicium adducti ſint. Socrates autem qui omnium conſtantiſsimus in hoc extitiſſet, iiſdē criminibus quibus nos accuſamur, accuſatus eſt. Nam & nouos Deos eũ inducere obiiciebãt, & quos ciuitas probaret Deos, nõ habere & iudicare, cùm ipſe diis improbis & qui ea geſsiſſēt, quę poëtę memorię prodiderũt, ex rep. eiectis, & Homerum & alios poëtas deteſtari homines docuiſſet, atque ad Dei notitiã qui eis ignotus erat, ratione diſſerēdi & diſputandi hortaretur his verbis, Atque illum quidem quaſi parentē & effectorem vniuerſitatis huius, & inuenire difficile eſt, & cùm iam inueneris, indicare in vulgus, haud tutũ: quę Chriſtus noſter vi & poteſtate præſtitit. Socrati enim nemo credidit pro hoc decreto mortē eſſe oppetēdam. Chriſto autē, qui etiam Socrati quadã ex parte cognitus eſt, (ratio enim & Verbũ erat éſtq; in omnibus, prædixítq; per prophetas ea quę futura ſunt) cùm per ſe homo iiſdem affectionibus obnoxius effectus eſſet, atque hæc docuiſſet, non philoſophi modò & oratores, ſed ij etiam qui manibus opus artis exercent, penitúſque ignari, gloria, metu, morte deniq; contēpta, aſſenſi ſunt, quandoquidem vis eſt atque potentia patris qui exprimi non poteſt, non humanæ rationis arma. Nec verò morte mulctaremur, neque nobis ſuperiores eſſent improbi homines ac dæmones, niſi omni penitus homini qui generatus eſt, mors deberetur. Itaque nos etiam debitũ ſoluētes gratias agimus. Quinetiam illud Xenophonteũ nunc cõtra Creſcentem eóſque qui ſimili amentia cæci ſunt, commemorare pulchrum & opportunum ducimus. Herculem ſcribit Xenophon in triuium quoddam & ſolitudinem cùm exiiſſet, virtutem vitiúmque offendiſſe muliebri habitu & ornatu: ac vitium quidem molli elegantique veſte & facie quæ ad amorem incitaret & illiceret, atque ex talibus efflor eſceret, cùm ſtatim in conſpectu eius illecebris demulceret, dixiſſe Herculi, ſi ſe ſequi vellet, fore, vt ſua opera ſemper in voluptatibus eodem ornatu & ſplendore nitens ac fulgens, quo ipſum, degeret: virtutem contrà quæ ſqualida ſordidáque & facie & veſte eſſet, pollicitã eſſe, ſi ſibi parēret & crederet, fore non vt ornatu & pulchritudine quæ fluerent ac interirent, ſed æternis pulchríſque ornamentis, niteret ac ſplendeſceret: atque omnem quem in ſententiam ſuam deduxiſſet, fugientem ea quæ bona viderentur, & quæ dura ſtultáq; haberentur, ſequentem, beatam vitam eſſe adepturũ. Vitium enim iis quæ in virtute inſunt, & verè bona ſunt, quaſi ſpecie prima actionum ſuarum amictum, rerum quæ non intereunt imitatione (nihil enim habet immortale, neque efficere poteſt) homines qui ſe animúmque ſuum in res caducas abiecerunt, ſeruitute opprimit, iis malis quæ in ipſo inſunt, virtuti attributis. Ij autem qui ea quæ reuera bona ſunt nec intereunt, intellexerũt

&

A & cogitauerunt,virtuti attribuunt. Id quod etiam de Chriſtianis iiſque
hominibus qui in certamen deſcenderunt, atque iis qui eadem egerunt,
quæ poëtæ de iis qui dij habentur,narrarunt,iudicandum eſt. Omnia igi-
tur rationem animóſque hominum diſtrahunt ex eo,quòd nos mortē quę
fugienda ſit contemnamus ac pro nihilo putemus.Etenim ego ipſe,quem
Platonis diſciplina delectaret,cùm Chriſtianos in crimen vocari audirem,
ſed nullo mortis aliorúmq; omnium quę horribilia ducuntur,metu affici
animaduerterem, profectò in eis vitium voluptatiſque ſtudium eſſe non
poſſe cogitabam.Quis enim voluptatum auidus vel impotens, & huma-
B næ carnis vſum in bonis ducens, mortem ex animo amplexari & amare
poſsit,vt ſuis omnibus bonis & commodis careat?ac non omni ratione eā
vitam quam hîc agimus, ſemper degere & principibus ignotus eſſe ac la-
têre eos conetur,non autem morte ſe mulctandum indicarit? Iam enim
hoc quoque vt agerent ſceleſti quidam homines,mali genij impulerunt.
Morte enim nonnullos mulctantes,ſuis in nos calumniis ad quæſtiones
& ſupplicia noſtrorum hominum ſeruos,aut liberos, aut mulieres rapue-
runt:pœniſque horribilibus ea cōmentitia in nos coëgerunt proferre,quæ
ipſi perſpicuè faciunt:quorum quoniā nihil in nobis ineſt,ea negligimus,
quòd Deum qui generatus non eſt, nec exprimi poteſt,teſtem & cogita-
C tionum habeamus & actionum. Cur enim non hæc etiam in bonis eſſe
profitebamur, in iiſque diuinam philoſophiam conſiſtere docebamus, &
oſtendebamus,his verbis,Saturni quidem nos ſacra perficere cędendis im-
molandiſque hominibus,effundendóque cruore, ſicuti feruntur eadē ſta-
tuæ & ſimulachro quod apud vos colitur fieri,cui non ſolùm animalium
rationis expertium ſanguis effunditur,ſed etiam hominum, dum cruoris
eius quod mactatum & immolatum eſt,effuſionē, per eum qui apud vos
eſt clariſsimus & nobiliſsimus,procuratis: Iouis autem aliorúmque Deo-
rum imitatores eſſe cùm impunè cum viris & mulieribus miſcemur,quod
Epicuri auctoritate,poëtarúmque monimentis defendamus?Sed quoniam
D diſciplinas iſtas,eóſque qui hæc & egerunt & imitantur,fugiendos doce-
mus & ſuademus,vt etiā modò hac oratione contendimus, multis variiſ-
que inimicitiis exagitamur,ſed negligimus, quòd Deum vniuerſorum iu-
ſtum æquúmque ſpectatorem eſſe ſcimus.Quòd ſi quis nūc etiam eſſet,is
conſcenſa excelſa ſede,tragica voce clamaſſet,Pudeat vos,pudeat vos,qui
quæ manifeſtò & perſpicuè facitis,eorum culpam in innocentes confera-
tis:quæque & in vobis inſunt & in diis veſtris, eis obiiciatis ad quos eorū
ne minima quidem pars pertineat. Sententiam mutate,& ad meliorem
mentem redite. Ego enim cùm prętextum & ſpeciem obſcœnam quę ad
E auertendos abducendóſque alios homines à malis geniis diuinæ Chriſtia-
norum religioni obiicitur,intellexiſſem:certè & eos qui falſa hæc eſſe di-
cunt,& cauſam ipſam deriſi, & eam quæ apud multos valet, opinionem.
Ego & precor vt Chriſtianus inueniar,& eū eſſe me,omni animi conten-
tione profiteor:non quòd Platonis decreta à Chriſto abhorrent, ſed quòd
non ſunt omni ex parte ſimilia,quemadmodū nec cæterorum Stoicorum,

poëtarum & hiſtoriographorum. Vnuſquiſque enim eorũ,cùm eius particulæ diuinæ rationis, cuius in ſe habebat ſemina, impulſu,id quod eiuſ- A
dem generis erat intueretur,aliquid præclarè locutus eſt.Qui autem iis in rebus quæ ſunt maximi pŏderis,pugnantia cenſuerunt,ij nec ſcientia quę ſub ſenſum non cadit,nec cognitione quæ reprehendi non poteſt,pręditi videntur fuiſſe.Quæ igitur præclarè ab omnibus dicta ſunt,noſtra ſunt Chriſtianorũ.Verbũ enim quod ex Deo qui ortu caret,nec exprimi poteſt, prodiit,ſecundũ Deũ veneramur,adoramus & amamus,quòd cauſa quoque noſtra homo factũ eſt,vt etiam eorum quæ patimur,particeps,nos curaret. hiſtoriographi enim omnes innatæ rationis ſemine quod in eis inerat,obſcurè ea quæ ſunt,cernere potuerunt. Aliud eſt enim ſemen,quod ſimulachrum etiam alicuius quoad eius fieri poteſt,datum eſt: aliud id, cuius B
communio & imitatio,illius conceſſu ac munere exiſtit. Quare à vobis petimus,vt ſubſcripta ſententia & approbatione veſtra libellum hunc in lucem proferatis, vt etiam aliis noſtra nota ſint, & à falſa opinione & ſententia abduci, rerúmque bonarum ignoratione liberari poſsint,ij qui culpa ſua ſuppliciis oportuni & obnoxij fiunt, vt hæc homines intelligant: propterea quòd in natura hominũ ineſt,id quod bonũ & malum cognoſcit:quódque nos,quos flagitia quæ dicunt,perficere ignorant,condẽnant: & quòd hæc talia probantur diis,qui & eadem fecerunt ipſi,& ſimilia ab hominibus nunc etiam poſtulant: & quòd ſi etiam in nos, quaſi talia faciamus, pœnam capitis, aut vincula, aut aliquam aliam eiuſdem generis C
pœnam ſtatuant,ſemetipſos condemnant,vt non ſit opus aliis iudicibus. Impiam etiam illam & fallacem Simonis diſciplinam, quæ in mea gente inſedit,contẽpſi atq; repudiaui.Quòd ſi hæc vos ſenatuſcõſulto veſtro diuulgaueritis,nos quidẽ omneis certiores faciemus atq; docebimus, vt ſi poſ ſint, mutẽt ſententiam.Hac enim ſolùm cauſa adductus & impulſus ſum, vt hæc conſcriberẽ.Noſtra autem diſciplina iudicio quidem ſapientũ,turpis & flagitioſa nõ eſt,ſed omni humana philoſophia præſtãtior.Sin minus,at certè Sotadeę,Philęnideæ,ſcenicæ,Epicureorũ,aliíſque eiuſdem generis poëticis diſciplinis non eſt ſimilis,in quibus tamen verſari omnibus & quæ facta ſunt & quæ literarum monumentis prodita,conceſſum eſt. Nos quidem quoad eius fieri poterit, agere ac precari deinceps non deſiſtemus, vt omni ex parte omnibus hominibus aditus ad veritatem patefieri poſsit. Quare veſtrum quoque erit pro religionis philoſophiǽque dignitate,quod ius & æquum eſt,ſecundum nos iudicare. D

Locus hic in Græco & mancus & deprauatus eſt vſque ad extremam orationem.

SANCTI IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS APOLOGIA SECVNDA PRO Chriſtianis ad Antoninum Pium Imperatorem, & Senatum populúmque Romanum, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

A APVD Titum Ælium Adrianum Imperatorem, Antoninum Pium Auguſtum Cæſarem, Veriſsimúmque filium philoſophum, & Lucium philoſophum Cæſaris natura, Piique adoptione filium ſtudioſum bonarum literarum, & ſacrum Senatum, populúmque Romanum pro iis quos omne hominum genus iniuria odit & calumniatur, Iuſtinus Priſci Bacchij filius, Flauiæ Neapolis Syriæ Paleſtinæ ciuis, vnus eorum verba feci. Iis qui verè pij & philoſo-
B phi ſunt, ratio præcipit, vt verum vnum colant atque ament, veterum ſi prauæ ſunt declinatis repudiatíſque ſententiis. Neque enim ſolùm non ſequi eos qui aliquid contra ius fecerint, aut docuerint, prudens ratio iubet, ſed omni ratione etiam animo ſuo veritatis amicus, morte etiam propoſita, rectè dicta & facta debet anteponere. Veſtræ quidem religionis, philoſophiæ, cuſtodiæ, iuſtitiæ & æquitatis, ſtudiíque bonarum artium fama vbique peruagatur: ſed ſintne in vobis hæc omnia, res declarabit. Non enim vt vobis his literis aſſentemur, nec vt ad gratiam loquamur, acceſsimus: ſed vt petamus à vobis, vt ex accurata exquiſitáq;
C ratione iudicetis, non ex opinione quæ anteà vos occupauerit, aut hominibus placendi ſtudio, quod ſuperſtitioſum eſt, ducti, aut animi impetu qui à ratione auerſus ſit, falſóque rumore, qui iam diu animos veſtros occupat, ſententiam in nos feratis. Nam nos quidem perpeti quicquam mali à nemine poſſe reputauimus, niſi maleficij conuincamur, aut improbi iudicemur. Vos autem pœna quidem capitis nos afficere poteſtis, nocere verò nobis non poteſtis. Sed ne quis vocem hanc ſtultam & audax dictum eſſe putet, petimus, vt crimina quibus accuſamur, conſyderetis, & ſi vera eſſe doceantur, ſuppliciis afficiamur,
D vt æquum eſt, atque adeò nos coërceatis. Sin nihil quiſquam conuincere & reprehendere poſsit, non iubet vera ratio inſontes propter falſum rumorem iniuria vexari, ſed vos potiùs, qui non iudicio, ſed animi perturbatione res ſpectandas ponderandáſque cenſeatis. Eam autem demum præclaram, ſolámque iuſtam & legitimam in ius vocationem

omnis prudens eſſe pronunciabit, ſi ij qui in imperio aliorum ſunt, vi- A
tæ ſuæ & orationis rationem quæ culpari non poſsit, reddant: ſimilíque
etiam modo, ſi ij qui præſunt, non vi, nec tyrannide, ſed religione &
ſapientia ducti, ferant ſententiam. Ita enim demum & ij qui præſunt,
& ij qui parent, beatitudine fruentur. Quidam enim veterum quodam
loco ſcripſit his verbis, Niſi & ij qui imperant, & ij qui in illorum im-
perio ſunt, ſtudio ſapientiæ dedentur, nunquàm beatas fore reſpubli-
cas. Eſt igitur noſtrum, & vitæ & diſciplinæ rationem omnibus red-
dere, vt eos qui noſtra ſe ignorare exiſtimant, ſupplicio pro ijs quæ i-
gnari eorum ſcelerate fecerunt, condemnemus: Veſtrum autem, vt o-
ratio docebit, audiendo dare operam, vt veri iudices inueniamini.
Re enim cognita, niſi id quod ius eſt feceritis, nullam Deus excuſa- B
tionem veſtram accipiet. Nominis quidem appellatio nec in bonis, nec
in malis ducitur ſine factis quæ in nomen conueniunt: quandoqui-
dem quantum ex nomine noſtro, quod in crimen vocatur, intelligi po-
teſt, optimi ſumus. Sed quoniam hoc non æquum iudicamus, pro-
pter nomen, ſi improbi conuincamur, petere vt abſoluamur: contrà
ſi nihil per nomen noſtrum & in vita mali & ſceleris admiſiſſe reperia-
mur, veſtrum eſt omni ratione contendere, ne iniuria de iis ſupplicium
ſumentes, qui non ſint conuicti, voſmetipſos pœna condemnetis. Ex
nomine enim nec laus, nec ſupplicium iure comparatur, niſi aliquam
virtutem aut vitium facta declarare poſsint: præſertim cùm eos qui ac- C
cuſantur omnes antè quàm conuincantur, ſupplicio non afficiatis. In
nos autem nomen vt criminoſum accipitis, etſi quantum ad nomen
ipſum attinet, in accuſatores potiùs debetis animaduertere. Accuſamur
enim quòd Chriſtiani ſumus: cùm id quod bonum honeſtúmque eſt,
in odium incurrere non debeat. Iam ſi quis eorum qui accuſantur, ver-
bo rem neget, eum abſoluitis, quaſi nullum eius crimen docere poſsi-
tis: ſi quid autem conceſſerint, propter confeſsionem, de eo ſupplicium
ſumitis: cùm oporteat & eius qui fatetur crimen, & eius qui negat, vi-
tam exquiri, vt ex factis qualis quiſque ſit, appareat. Quemadmo-
dum enim quidam à Chriſto magiſtro inſtituti, non negare in quæ- D
ſtionibus iubentur: ſic ij qui improbè viuunt, fortaſſe cauſas dant
iis qui alióqui Chriſtianorum omnium impietatem & ſcelus volunt ex-
ponere: quod quidem non rectè fit. Etenim philoſophiæ nomen, &
ſpeciem ſibi vendicant nonnulli, qui nihil dignum promiſsione præ-
ſtant. Eos autem veteres, qui etiam pugnantia cenſuerunt & docue-
runt, vno nomine Philoſophos appellari ſcitis: eorúmque nonnulli
naturam Deorum nullam eſſe docuerunt, Iouémque libidinoſum fuiſ-
ſe cum liberis ij qui poëtæ fuerunt narrant: & qui illorum diſciplinam
tractant, à vobis minimè arcentur. Præmia verò & honores eis
qui in eos magna voce dicunt, proponitis. Quod ergo hoc in nos cri- E
men eſt? qui nec ſcelus admittere nos, neque impia hæc probare
profite-

A profitemur? Non iudicia exercetis, ſed animi motu qui à ratione auerſus eſt, geniorúmque malorum ſupplicio impulſi, indicta cauſa ſine cura ſupplicio alios afficitis. verùm enim dicetur. Quondam enim dæmones mali cùm ſe oſtendiſſenr, & mulieribus ſtupra obtulerunt, & liberos interemerunt, & terrores hominibus propoſuerunt, vt terrerent eos qui ex ratione res quæ fierent, non diiudicabant: ſed metu perterriti, cùm genios malos eſſe neſcirent, Deos nominabant, eóque nomine vnumquenque appellabant, quod ſibi quiſque dæmon imponeret. Socrates autem, cùm hæc vera ratione, & conſyderatè in lucem proferre conaretur, hominéſque à dæmonibus abducere, eum etiam dæmones, eorum hominum qui vitiis gaudebant, opera, vt impium &
B Deorum hoſtem necauerunt cùm illum nouos Deos inducere iactarent: In nos quoque idem faciunt eodem modo. Non enim in Græcis modò à Socrate verbo & ratione hæc reprehenſa ſunt, ſed etiam in Barbaris ab ipſo Verbo, quod formam figurámque hominis accepit, atque homo factum eſt, & Ieſus Chriſtus vocatum eſt, cui credentes nos, dæmones qui hæc perfecerunt, non ſolùm non rectos eſſe dicimus, verùm etiam improbos & impios dæmones, qui ne ſimilibus quidem actionibus præditi ſunt, quæ in iis hominibus inſunt, qui virtutis cupiditate ducuntur. Hinc etiam athei nominati ſumus. Fatemur qui-
C dem his nos talibus diis carere, non Deo qui veriſsimus eſt, & iuſtitiæ, & temperantiæ, cæterarúmque virtutum pater, nec quicquam vitij admixtum habet haberéque vllo modo poteſt. Sed & illum, & eius filium, qui venit, nóſque hæc docuit, & aliorum ſequentium ſimiliúmque bonorum angelorum exercitum, & Spiritum propheticum colimus atque adoramus, verbóque & re, ſiue veritate veneramur, ídque omnibus qui diſcere velint, vt docti inſtitutíque ſumus, copioſè tradimus. Sed dicet aliquis, Iam quidam capti conuicti ſunt maleficij. Multos enim plerumque cùm ſemper eorum qui accuſantur, vitam exquiritis & conſyderatis, at non propter eos qui antè dicti ſunt, condemnatis.

D Hoc igitur vniuerſè planéque profitemur, quemadmodum ij qui apud Græcos placita ſua & ſententias docuerunt, vno penitus philoſophiæ nomine appellantur, etiam ſi decreta eorum ſint pugnantia: ſic eorum etiam qui in Barbaris extiterunt habitíque ſunt ſapientes, commune eſſe nomen quod crimini datur. Chriſtiani enim appellantur omnes. Itaque à vobis petimus, vt eorum omnium quorum nomina vobis delata ſunt, facta iudicetis, vt is qui conuictus erit, tanquàm improbus ſupplicio afficiatur, non vt Chriſtianus: ſin quiſpiam ſine culpa & crimine exiſtat,
E abſoluatur vt Chriſtianus, cùm nihil ſceleris admittat. Neque enim vos vt accuſatores puniatis, rogabimus. Satis enim graues pœnas dant ea improbitate quæ in ipſis ineſt, & rerum bonarum ignoratione. Cogitate verò hæc de vobis à nobis dicta eſſe, cùm in nobis ſitum ſit, vt in quæſtionibus negemus, ſed viuere in falſi aſſertione, & mendacio

nolumus. Æternæ enim puræque vitæ cupiditate ducti, cum Deo omnium parente & effectore degere concupiſcimus: properamúſque ad confitendum, quòd adducti ſumus vt credamus, hæc eos adipiſci poſſe, qui re & factis ſe, & Deum ſecutos eſſe & vitam quæ apud eum agatur, vbi malicia & vitia non repugnant, amaſſe docuerint. Atque vt in pauca rem conferam, hæc ſunt quæ expectamus, & à Chriſto didicimus, & docemus. Plato autem eodem modo ſcripſit Rhadamanthum & Minoa ſumpturos eſſe de iis ſupplicium, qui iniuſtè vixerint, cùm ad eos venerint. Nos verò fore dicimus, vt eadem res fiat, ſed à Chriſto, eadémque corpora cum animis æterno ſupplicio afficiantur, ſed non ſolùm mille annorũ circuitu quemadmodum ille cenſuit. Quòd ſi quis hoc incredibile eſſe ac fieri non poſſe apud vos dicat, error hic vnus eſt cum altero, quoad re ipſa nihil nos ſceleris admittere doceatur. Sed nec eos qui hoſtiis multis coroníſque ex floribus contextis coluntur: homines qui eorum ſtatuas effictas in templis ſtatuerunt, Deos appellauerunt: quandoquidem hæc inania & mortua eſſe ſcimus, Deíque formam & figuram non habere. Neque enim eam Dei figuram eſſe arbitramur, quam quidam honoris cauſa ad imitationem effictam eſſe confirmant, ſed illorum malorum geniorum habere & nomina & figuras. Quid enim attinet vobis qui ſcitis, exponere ea quæ artifices diſpoſita materia ſecando, diuidẽdo, conflãdo, percutiẽdo, & ex vaſis ignominioſis ſępe artificio mutata ſolùm forma & figura, alia inducta, Deorum nomine appellant? quod quidem non ſolùm ſtultum eſſe, ſed etiam contumeliæ Dei cauſa fieri iudicamus: qui cùm gloriam formámque quę exprimi non poteſt habeat, earum rerum quæ intereunt, curáque egent, appellatur nomine. Quinetiam harum rerum ne enumeremus artifices laſciui ſunt, vt ſcitis, omníque malicia & improbitate præditi, ſuáſque ancillas quæ vnà cum eis in opere ſunt corrumpunt. ô amentiam, homines libidinoſos, Deos vt adorentur, fingere dicitis ac mutare, & fanorum in quibus dedicantur, tales cuſtodes, tutelaréſque ſtatuere: nec intelligitis nefas eſſe & intelligere & fateri homines Deorum eſſe cuſtodes. Nos autem hoc ſumpſimus, Deum oblationis quæ ex materia conſtet, quámque homines dent, non indigere, cùm illum præbere omnia & ſuppeditare videamus. Eundémque illos tantùm charos habere docuimus, nobíſque perſuaſimus & credimus, qui ea quæ in eo inſunt, imitantur, temperantiam dico, iuſtitiam, humanitatem, omniáque quæ Dei ſunt propria qui nomine nullo appellatur, quod quidem ſit impoſitum. Eum etiam docuimus qui probus eſſet, principio generis hominum cauſa ex materia informi effeciſſe vniuerſitatem, hominéſque qui dignos ſe eius voluntate & conſilio operibus præſtiterint, cum eo victuros eſſe meritis ſuis ſumpſimus, ac regnaturos, ſic vt ab omni interitu perturbationéque ſint liberi. Vt enim eos cùm nulli eſſent, principio effecit: ſic fore ſperamus, vt ex eo quòd ſecuti erunt ea quæ illi probantur, eos & immmor-

A immortalitate & conſuetudine dignetur. Nam vt principio quidem efficeremur, in nobis ſitum non erat: vt autem ea ſequamur, quæ ipſi grata ſunt, eligentes iis viribus & facultatibus, quæ rationis participes eius munere nobis datę ſunt, nobis ſuadet, atque vt credamus impellit. Atque è re generis hominum eſſe exiſtimamus, non arceri eos ab harum rerum diſciplina, ſed ad eas etiam incitari. Quod enim humanæ leges efficere nōn potuerunt, id Verbum quod diuinum eſt, perficit, niſi mali genij falſas multas & impias accuſationes ſparſerint, adhibita ſibi ſocia pugnæ vitioſa illa ad omnia & varia quę in vnoquoq; eſt à natura, appetitione, quorũ nihil in nobis ineſt. Vos quidem cùm regnum expectare nos audiuiſtis,
B ſine delectu humanum nos dicere exiſtimaſtis, cùm illud quod cum Deo eſt intelligamus: quemadmodum etiam ex eo conſtat, quòd ij qui à vobis in quæſtionem producuntur, Chriſtianos ſe eſſe profitentur, cùm mortem ei qui profiteatur, propoſitam pœnam eſſe intelligatis. Si enim humanum regnum expectaremus, profectò ſi negaremus, ne de medio tolleremur, daremus operam etiam vt hoc vos lateret, vt ea quæ ſperamus, adipiſceremur. Quoniam autem in iis quæ nunc ſunt, ſpes noſtras minimè defixas habemus, cùm necamur, negligimus, cùm etiã planè mori tandẽ aliquando debeamus. Patroni porrò & ſocii veſtri ſumus ad pacem ſoli ex omnibus hominibus maximè, qui hoc cenſemus, latêre Deũ eũ qui improbè faciat, aut auarũ, aut inſidiatorem, aut eum qui virtutibus ſit prædictus, non
C poſſe: & in æternum ſuppliciũ raptum iri, vel ſalutẽ conſecuturũ vnũquenque pro eorũ quæ geſſerit dignitate. Si enim hęc omnes homines cognita haberẽt, nemo ad breue tẽpus vitium ſequeretur, quòd ſe ad ęternũ ignis ſupplicium raptũ iri intelligeret, ſed omni ratione ſe in officio contineret, virtutéque ornaret, vt à Deo bona cõſequeretur, & à ſuppliciis liberaretur. Neque enim legũ quæ à vobis feruntur, vel ſuppliciorum metu, dũ iniuſtè viuunt, latêre conantur: ſed quia fieri poſſe intelligunt. Vt vos qui homines eſtis lateant, iniuſtè viuunt, ſi intelligant exploratúmq; habeãt, fieri nõ poſſe vt Deum aliquod lateat non ſolùm factum, ſed etiã conſiliũ: etiam
D ſi iis ſepulchris quę erecta ſunt, omni ratione ornati ſint, id quod vos etiã concedetis. Sed vereri videmini, ne omnes ea quæ iuſta bonáque ſunt, perficiant, vóſque eos de quibus ſupplicium ſumitis iam non habeatis, quod quidem hominum eſt de plebe, non bonorum principum. Quæ quidem etiam à malis geniis fieri credimus, qui ab iis quoque qui rationem ducem in vita non ſequuntur, hoſtias, cultum atque hæc vt ſuprà dixi, exigunt: non vos qui religionis & ſapientiæ ſtudio trahimini, ſtultum quicquam feciſſe exiſtimauimus. Quòd ſi vos quoque eodem modo quo ſtulti homines conſuetudinem veritati anteponitis, efficite quod poteſtis. Tantum autem poſſunt etiam ij qui præſunt, pluríſque opinionem quàm veritatem faciunt, quantum latrones in ſoli-
E tudine. Vos porrò non rectè litaturos ratio declarat. Principem autem iuſtiſsimum digniſsimúmque regia poteſtate præter parentem Deum noui-

διὰ τὰ ἐπικείμενα.

mus neminem. Quemadmodum enim parentis paupertatem, mala & dedecora omnes ſuſcipiunt, ſic quod ratio ſequi & eligi vetat, is qui ſuæ mẽtis eſt, non ſequetur. Hæc euentura omnia prædixiſſe præceptorem noſtrũ dico, Deíque omnium parentis ac Domini filium, & legatum Ieſum Chriſtum: à quo etiam hoc habuimus vt Chriſtiani appellemur, ſtabiléſque ſimus in iis omnibus quæ nos docuit, præſertim cùm re euenire videantur omnia quæ fore prædixit: id quod Dei eſt, antè quàm facta eſſet, dixit, atq; ita oſtenditur cùm euênit, vt prædictum eſt. Atque in his quidem facto ſine dicendi, nihil prætereà addere potuimus, cogitantes ea quæ iuſta & vera ſunt, nos petere: ſed quoniam ſcimus non facile eſſe, animum ignoratione conſtrictum paucis de ſententia deiicere, vt veritatis amicis perſuadeamus, pauca addere conſtituimus, quòd ſciamus fieri poſſe vt vero propoſito ignoratio fugetur. Nós quidem non eſſe Atheos, qui vniuerſitatis huius effectorem colamus: quem nõ egere cruore, victimíſq; & odoribus qui ei incendãtur, ſicuti docti ſumus, dicamus: quémque precibus & Euchariſtia in iis omnibus quæ offerimus, quãtum animus noſter capere poteſt, laudemus: cùm hunc vnum honorem eo dignum acceperimus, ea quæ ab illo ad victum & cibum procreata ſunt, non igne conſumere, ſed nobis atque egentibus offerre, illi autem gratias agere, verbíſque laudes & præconia tribuere pro beneficio procreationis, & pro copia eorum omnium quæ ad valetudinem pertinent, pro generibus rerum, pro viciſſitudine temporum, atque rurſus vt immortalitatem conſequamur pro noſtra in eum fide rogemus: quis ſuæ mentis non fatebitur? Ieſúmque Chriſtum qui hæc nos docuit, & ad hoc natus eſt, quíque in crucem actus eſt Pontio Pilato, cùm Tiberius imperaret, in Iudæa prætore, veri Dei filium eſſe accepimus, atque in ſecundo loco habemus, Spiritúmque propheticũ in tertio, nóſque eum rectè colere docebimus. Hîc enim inſaniam noſtrã & amentiam patefaciunt, dum ſecundum locum poſt immutabilem æternúmque Deũ, parentémq; rerum omniũ, homini qui cruci ſuffixus ſit dare nos dicunt, quòd myſterium eius ignorent: quod vt attentè audiatis dum illud vobis exponimus, hortamur. Vobis enim prædicimus, vóſque monemus, vt caueatis, ne dæmones quos antea accuſauimus vos capiant, abducántque ab eo, ne omnino ea quæ dicuntur in vobis radices agant. Hoc enim agunt, vt vos ſeruitute oppreſſos teneant, miniſtróſque habeant: interdúmque viſis ſomniorum, interdum magicis fraudibus omnes quibus nullo modo ſua ſalus curæ eſt, capiunt, & ſubigunt. Quemadmodum nos quoque poſteà quàm verbo perſuaſi ſumus, ab illis defecimus, Deúmque qui ſolus ortu caret, Filij benignitate ſequimur: qui antea ſtupris gaudebamus, nunc temperantiam cõtinentiámque ſolam amplectimur: qui autem magicis artibus vtebamur, Deo bono qui ortu caret, nos conſecrauimus: & qui pecuniarum poſſeſſionúmque copiam plus quàm cæteri amabamus, nunc etiam quæ habemus, in commune conferimus omníque egenti erogamus: & qui mutuis nos

A nos odiis proſequebamur, mutuíſque cædibus tollebamus, nec cum ijs qui gentis noſtræ non erant, propter inſtituta & conſuetudinem cibum capiebamus: nunc poſt Chriſti aduentum, vnà viuimus, ac pro inimicis precamur: eíſque qui iniuria nos oderũt, ſuadere conamur, vt ij qui ex præclaris Chriſti præceptis aut monitis vixerint, ſe vnà nobiſcum eadem bona & cõmoda à Domino omniũ cõſecuturos eſſe cõfidant. Sed ne vos capere ac decipere videamur, pauca quędã ipſius Chriſti pręcepta cõmemorare non alienum ante demonſtrationem cenſuimus: veſtrúmque eſto, vt qui potentes reges eſtis, exquirere, num hæc verè docti ſimus, atque doceamus. Breues autem ac præciſi eius ſermones extiterunt, neque enim Sophiſtes

B erat, ſed vis Dei verbum illius. Ac de continentia quidem hoc tantùm dixit, Qui mulierem eius appetendæ & concupiſcendæ cauſa viderit, iam animo apud Deum ſtuprum obtulit. Et, Si te oculus tuus dexter offendit, eum erue. Satius eſt enim tibi in regnum cælorum cum vno oculo intrare, quàm cum duobus cõijci in ignem æternum. Et illud, Qui ducit relictã repudiatámq; ab altero viro, adulteriũ admittit. Et illud, Sunt nonnulli qui ab hominibus execti ſunt. Sunt autem qui nati ſunt ſpadones. Sunt verò qui ſe execuerunt propter regnum cælorum, verũtamen non omnes hoc capiunt. Vt ij qui lege humana bis cõiugium ineunt, peccatores ſunt apud præceptorem noſtrum: ſic etiam ij qui mulierem libidinis cauſa intuentur. Neque enim is modò qui re ſtuprum offert, violat, tran-

C ſitque modum apud eum, ſed is etiam, qui ſtuprum offerre vult, quòd non ſolùm Deo opera & facta clara manifeſtáque ſunt, ſed etiam cogitationes: Ac plerique & pleræque ſexaginta atq; ſeptuaginta annos nati, qui à puero in Chriſti ſe diſciplinam tradiderunt, incorrupti permanent: precórque vt in omni hominum genere tales monſtrare poſſim. Quid enim enumeremus infinitam multitudinem eorum qui ab incontinenti intemperatáque vita abducti ſunt, cùm hæc ipſa didiciſſent? Non enim iuſtos homines, non ſobrios ad pœnitentiam Chriſtus vocauit, ſed impios, incõtinentes, & iniuſtos. Quod ipſe profeſſus eſt his verbis, Non veni vocatum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Peccatoris enim pœnitentiam

D pater cæleſtis mauult, quàm eius ſupplicium. De amore autem in omnes hæc docuit, Si eos diligitis, qui vos diligunt, quid noui facitis? Etenim ſcorta hoc faciunt. Ego verò vobis dico, Rogate pro inimicis veſtris, eóſque qui vos oderunt, amate, & de iis qui maledicta in vos iaciunt, benedicite, oratéque pro ijs qui de vobis detrahunt. Egentibus verò eſſe erogandum, nihílque gloriæ laudíſque cauſa eſſe faciendum, docebat hoc modo, Omni qui petit, date, eíque qui mutuo accipere velit, nolite denegare. Si enim eis mutuum detis à quibus vos accepturos eſſe ſperetis, quid facietis noui? Hoc etiam publicani faciunt. Vos autem nolite vobis in terra opes congerere, vbi tinea & ærugo diſſipant, & fures effodiunt, ſed vobis in cæ-

E lis diuitias congerite & recondite, vbi nec tinea nec ęrugo deterunt. Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucrifaciat, animum autem ſuum perdat? aut qua re animam ſuam permutabit? Theſauros igi-

Mat.5. *Ibid.&18.* *Mat.19.* *διγαμίας πνεύμαλα.* *Matth.9.* *Mat.5.* *Luc.6.* *Luc.6.* *Matth.6.* *Matth.16.*

Luc.6. tut in cælis recondite,vbi nec tinea,nec ærugo deterunt.Et,Eſtote autẽ be
Mat.5. & 6.& 7. nigni & miſericordes,vt etiam pater veſter benignus eſt, ſolémque ſuum A
oriri vult peccatoribus,iuſtis & improbis . Ne ſit vobis curæ, quid edatis;
aut quo induamini, nónne volatilibus beſtiiſque præſtatis? Et tamen eas
Deus fouet & alit. Nolite igitur curare quid edatis , aut quo induami-
ni. Scit enim pater veſter cæleſtis hæc vobis eſſe neceſſaria. Quærite au-
tem regnum cælorum , atque hæc vobis omnia præterea dabuntur. Vbi
enim theſaurus eſt,ibi etiam mens eſt hominis.Et illud,Nolite hæc facere
vt ab hominibus videamini. Alioqui mercedem à patre veſtro qui in cæ-
Luc.6. lis eſt,non habetis.Vt autem patientes in aduerſis ſimus,omnibúſque mi-
niſtrare velimus, nec iraſcamur,hortabatur his verbis,Ei qui malam tuam
percutit,præbe illi & alteram. Et eum qui adimit tibi tunicam, vel palliũ; B
Mat.5. noli prohibere.Quicunque autem iraſcitur,pœnæ ignis reus eſt.Omnem
eum qui te mille paſſus ſecum ire coëgerit,duobus ſequere. Luceant verò
bona opera veſtra ante homines,vt videntes patrem veſtrum qui in cælis
eſt,laudibus afficiant. Non enim reſiſtendum eſt,neque nos malorũ imi-
tatores eſſe voluit,ſed vt patientia & clementia omnes à turpitudine cupi-
ditatéque malorum abduceremur,hortatus eſt.Quod enim de multis eo-
rum qui apud nos fuerunt,docere poſſumus,ex violentis & tyrannis victi,
mutati ſunt,vel cùm vicinorum vitæ conſtantiam imitati eſſent,vel comi-
tum itineris qui circunuenti fuiſſent, externam patientiam perſpectam C
habuiſſent,vel eorum qui cum eis aliquid tractarent & agerent experti eſ-
ſent.Ne autem quiſquam iuret omnino,ſempérque omnes verum dicant,
Ibidem. hæc præcepit.Nolite iurare omnino.Sit autem veſtrum,etiam,etiam, nõ,
non.Quod autem prætereà eſt,à malo eſt.Deum autem vnum adorãdum
eſſe,docebat hoc modo,Maximum mandatum eſt, Dominum Deum tuũ
Mat.4.& 22. adorabis,& illi vni ſeruies:toto corde tuo,& totis viribus tuis, dilige Do-
minum Deum tuum qui te condidit. Cúmque quidam ad eum acceſsiſ-
Matth.19. ſet,ac dixiſſet,Magiſter bone:reſpondit,Nemo bonus eſt, niſi ſolus Deus,
Luc.18. qui effecit omnia . Qui verò non inueniuntur viuere , vt ipſe docuit,
intelligantur non eſſe Chriſtiani, etiam ſi lingua ipſa Chriſti decreta &
præcepta proferant.Neque enim eos qui ſolùm dicunt,ſed eos qui etiam D
faciunt,ſalutem conſecututos eſſe dixit. Hæc enim eius verba ſunt, Non
Matth.7. omnis qui mihi dicit,Domine,Domine,in regnum cælorum intrabit,ſed
qui patris mei qui in cælis eſt,voluntati obtemperat.Qui enim me audit,
eáque facit,quæ ego facio,eum qui me miſit, audit. Multi autem mihi di-
cent,Domine,Domine,nónne tuo nomine edimus & bibimus,virtutéſque
Matth.13. tum effecimus?túmq; eis reſpondebo,Diſcedite à me qui mala operamini:
Cap.7. fletus erit ſtridórq; dentium,cùm iuſti vt ſol fulgebunt,iniuſti autẽ inignẽ æ-
ternũ cõijcientur.Multi enim veniẽt nomine meo, qui extrinſecus pellibus
ouiũ amicti erũt,intus autẽ lupi erũt rapaces.Ex ſuis operibus eos agnoſcetis. E
Omnis porrò arbor,quæ generoſum fructũ nõ profert,exciditur & in ignem
proiicitur.A vobis aũt hoc etiã cõtendimus, vt eos qui nõ congruenter eius
decretis.ac præceptis viuũt, tãtúmq; Chriſtiani dicũtur,ſupplicijs coërceatis.

Tributa

A Tributa verò & cenſus ijs qui à vobis conſtituti ſunt,vbique in primis co namur pendere,quemadmodum ab eo inſtituti ſumus. Cùm enim quidã ad eum adiiſſent,quærerêntque,num tributum pendendum eſſet Cæſari, quæſiuiſſetque ex eis viciſsim, cuius imaginem & ſimulachrum nummus haberet,ac reſpondiſſent,Cæſaris,rurſus eis reſpondit, Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris,Cæſari:& quæ Dei,Deo.Hinc Deum ſolum adoramus: vobis autem in aliis rebus læti ſeruimus,regéſque vos & principes hominum eſſe profitemur,rogamúſque vt vos cum regali poteſtate ſanam bonámque mentem habere inueniamini.Quòd ſi nobis etiam precantibus, & in lucem omnia proferentibus, negligetis, nihil ex eo detrimenti capiemus, *Mat. 22.*
B quòd credamus, atque adeò nobis perſuaſerimus, vnumquenque pro dignitate eorum quę geſſerit,pœnas ignis ęterni daturum eſſe,atque pro portione eorum bonorũ quæ acceperit,rationem eſſe redditurũ,quemadmodum Chriſtus indicauit his verbis,Cui plus Deus dedit, plus etiam ab eo repoſcet. Ponite enim vobis ante oculos vniuſcuiuſque eorum qui reges fuerunt, finem & exitum, tum eos communi omnibus morte occubuiſſe intelligetis:quæ quidem ſi ad ſenſuum priuationẽ pertineret,profectò improbis omnibus vtilitatem afferret. Quoniam autem ſenſus omnibus qui fuerunt remanet,æternúmq; ſupplicium propoſitum eſt, diligentiam ad- *Luc.12.*
C hibete , vt vobis hæc vera eſſe perſuadeatis atque credatis . Diuinatio ea quę fit excitandis mortuis,puerorúmque incorruptorum viſa,& humanorum animorum appellationes &excitationes , quíq; apud diuinos ſomnia mittere dicũtur,&aſſeſſores vocãtur & quę fiũt ab iis qui hęc norũt,vobis fidẽ faciant,ſenſus in animis etiam poſt mortẽ remanere:Ii etiã homines qui animis mortuorum arripiũtur & proiiciuntur,quos à dæmonibus obſeſſos,& inſanos omnes appellant,eæque quæ apud vos vaticinationes & diuinationes Amphilochi,Dodonæq;,& Pythij dicuntur,cæteráq; omnia eiuſdem generis,doctrináque eorum qui ſcripſerunt, vt Empedoclis, Pythagoræ,Platonis,Socratis,foſſáque Homeri,& Vlixis deſcenſus vt hæc inſpiceret,& eorum qui eadem quæ hi dixerunt: nóſque eodem modo,quo
D illos probate,qui non minùs,atque adeò magis Deo quàm illi ipſi credamus,quíque mortuos & quæ in terra inhumantur iterum corpora ſua acceptura ſperemus, quòd nihil eſſe quod Deus non poſsit efficere,cenſeamus &aſſeueremus.Quin rẽ diligentiùs cõſyderanti hoc multò magis incredibile videatur,ſi in corpore non eſſemus, & aliquis diceret, ex parua quadã humani ſeminis gutta,oſſa,neruos,& carnes depictas ea ſpecie & figura quã videmus,poſſe fieri.Eſto enim nobis ex hypotheſi dictũ.Si quis vobis cùm tales non eſſetis,nec ex talibus,diceret monſtrato humano ſe-
E mine,pictáque imagine,ex hac tali re hominem poſſe fieri,num crederetis,antè quàm aſpectus fidem faceret?nemo quidẽ auſit repugnare. Eodẽ igitur modo quòd nondum mortuum excitatum vidiſtis,increduli eſtis. Sed quemadmodum primũ tales ex parua gutta poſſe fieri non crederetis & fieri cernitis : ſic cogitate fieri poſſe vt hominum corpora diſſoluta, atque ſeminum inſtar in terrã diſſoluta , conſtituto à Deo tempore exci-

tentur, adipiſcantúrque immortalitatem. Quam enim dignam maieſtate Dei poteſtate dicunt ij qui tradunt vnamquamque rem in id occidere, ex quo ſit orta? nóſque præter hæc nihil aliud poſſe ne Deum quidem dicere poſſumus. Sed illud intelligimus, nunquam homines credituros fieri poſſe vt tales orirentur, quales & ſe, & vniuerſum mundum, & ex quibus ortos eſſe vident. Satius autem eſſe ea quæ & ipſi & homines præſtare non poſſunt, credere ſuprà ſumpſimus, quàm more cæterorum non credere: quandoquidem præceptorem noſtrũ Ieſum Chriſtum dixiſſe ſcimus, Quæ homines præſtare non poſſunt, ea Deus poteſt. Et illud, Nolite eos qui vos interficiunt, metuere, nec poſtea habebunt, quod faciant. Timete autem eum, qui poſtquàm occiderit, poteſt & animum & corpus in gehennã demittere. Gehẽna porrò locus eſt, in quo luent pœnas ij qui iniuſtè vixerint, nec euentura ea crediderint, quæ Deus per Chriſtũ docuit. Quinetiam Sibylla & Hyſtaſpis eorum quæ intereunt cõſumptionem per ignem futuram eſſe prædixerunt. Stoici verò & Deum ipſum in ignem occaſurum eſſe docent, & rurſus mundum mutatione & quaſi renouatione extiturum. Nos autem meliùs quiddam iis quæ mutantur, intelligimus, Deum rerum omnium conditorem. Quòd ſi quædam eodem modo quo Poëtæ ac Philoſophi qui apud vos in honore ſunt ac gloria, dicimus, nonnulla verò excellentiùs ac diuiniùs: ſolíque quod dicimus demonſtramus: cur in omnium iniuſtum odium incurrimus? Cùm enim omnia à Deo ornata effectáque dicimus, Platonis decretum videmur dicere. Cùm autem conflagrationem futuram, Stoicorum. Cùm verò affici ſuppliciis in ſenſu animos improborũ, qui etiam poſt mortẽ ſint & maneant, eos autem bonorum ac ſuppliciis liberos, bene beatéque viuere: eadem quæ Poëtæ & Philoſophi dicere videmur. Cùm ſimulachra nõ eſſe adoranda, eadem dicimus, quę Menãder Comicus iique qui hęc prodiderunt. Maiorẽ enim effectorem re quæ efficitur, eſſe cenſuerunt. Cùm Verbum, quod eſt primum quod ex Deo natum eſt, id eſt, Ieſum Chriſtum præceptorem noſtrũ ſine permixtione natum eſſe dicimus, eundémque & cruci ſuffixum, & mortuũ & ab inferis excitatum reuertiſſe in cælum: nihil noui præter Iouis liberos quos probatis, inducimus. Quot enim Iouis liberos hiſtorici qui apud vos in gloria ſunt, tradant, ſcitis. Mercurium quidem verbum quod vim interpretandi habet, omniúmque magiſtrum: Æſculapium autem qui medicus extitit, tactum de cælo fulminéque ictum in cælum rediiſſe: Liberum patrem diſperſum: Herculem laborum fuga ſe in ignem conieciſſe: Caſtorem & Pollucem ex Læda natos, & Perſem ex Danaë, & Bellerophontem qui ex hominibus ab equo pegaſo ſublatus eſt. Quid enim Ariadnen commemorem, eóſque qui ei ſimiles ſublimes pẽdêre dicuntur? Etenim Imperatores qui apud vos excedunt è vita, immortales ſemper eſſe vultis, quendámq; iuratũ producitis, qui Cæſarem combuſtum in cælum ex igne reuerti viderit. Nihil etiam attinet quæ qualiáque facta vniuſcuiuſque Iouis liberorum literarum monumentis prodita ſint, exponere, niſi quòd hæc ſcripta ſunt, ad pręſtantiam adhortationémque eorum qui erudiun-

Margin notes: A (beside "tentur, adipiſcantúrque…"); Matth.19. (beside "credere: quandoquidem…"); Matth.10. (beside "mus, Quæ homines…"); B (beside "gehennã demittere…"); C (beside "nata effectáque…"); ὅ ἐστι πρῶτον γέννημα τοῦ θεοῦ. (beside "fectorem re quæ efficitur…"); D (beside "ros quos probatis…"); E (beside "Etenim Imperatores…").

A erudiuntur.Imitatores enim Deorum eſſe,præclarum omnes eſſe dicunt.
Atqui ſapientis animo talis quædam de Diis opinio & cogitatio incidit,
quaſi etiam ipſe omnium dux & parens Iupiter eorum ſententia patrem
quoque eiuſmodi interfecerit,improbarúmque & fœdarum voluptatũ cu-
piditate amoréque victus ad Ganymedem multáſque mulieres libidi-
nis explendæ cauſa venerit, eiúſque liberos eadem feciſſe omnes acce-
perint . Sed quemadmodum antè diximus , hæc mali genij perfecerunt.
Nos verò immortalitate donari eos ſolos accepimus, qui ſanctè & cũ vir-
tute proximè Deo viuant:eos autem qui iniuſtè,nec reſipiſcant,muténtq;
propoſitum,in æterno igne pœnas luere credimus.Deíque filium qui Ie-
B ſus dicitur,quanquam vulgò & communiter ſolùm homo dicatur,tamen
propter ſapienriam dignumDeo filium nominari.Deum enim & hominũ,
& Deorum parentem hiſtorici omnes vocant.Quòd ſi etiam propriè pręter
communem ortum eundem ex Deo Dei Verbum natum eſſe,vt pau-
lò antè dictum eſt,confirmamus,id vobis commune eſto,qui Mercurium
verbum à Deo nunciandi cauſa miſſum eſſe dicitis.Si quis verò hoc obii-
ciat,eum in crucem actum eſſe, hoc etiam ei commune eſt ſententia ve-
ſtra cum Iouis liberis, quos antè enumerauimus , qui multa pertulerunt.
Illorum enim non ſimilis mortis perpeſsio,ſed diſsimilis literarum monu
mētis prodita eſt. Itaq; nec propria ſingulariq; morte hic inferior eſſe vi-
C detur,ſed meliorem eum eſſe progreſſu orationis,quemadmodum pollici-
ti ſumus,docebimus,atque adeò docuimus. Ex rebus enim geſtis præſtan-
tior videtur.Eum porrò ſi ex virgine natum eſſe inducimus,commune e-
tiam hoc vobis eſt in Perſe. Cùm autem eum claudos, & paralyticos,at-
que eos qui à primo ortu ægri erant,curaſſe,& mortuos ab inferis excita-
uiſſe dicimus:ſimilia ijs quæ ab Æſculapio facta eſſe dicuntur, eadémque
dicere videmur.Sed vt iam hoc etiam vobis planum fiat,quæ à Chriſto e-
iúſque prophetis & vatibus qui anteceſſerunt , docti profitemur, ea ſola
vera eſſe,& antiquiora hiſtoricis omnibus qui extiterunt:nō ob eā cauſam
quòd eadem quæ illi dicimus,approbari volumus, ſed quòd id quod res
D eſt dicimus,Ieſum Chriſtum ſolum propriè Dei filium natũ eſſe,qui cùm
verbũ eius ſit & primigenius,ac poteſtas,eiúſque cōſilio homo factus fuiſ-
ſet,hæc nos docuit propter generis hominũ mutationem& reuocationē:
quíque antè quàm inter homines homo verſaretur, nonnulli malorũ ge-
niorum impulſu venientes,per Poëtas,vt præterita dixerunt, quæ fabula-
rum inſtar narrauerunt, quemadmodum ea etiam quæ in nos ignominiæ
plena impiáq; facinora dicuntur,ediderunt:quorum nemo teſtis eſt,nulla
demonſtratio,ea refellemus,Primùm quòd nos qui ſimilia eadémque dici-
mus quæ Græci,Chriſti nomine in omnium odium incurrimus: & cùm
nihil ſceleratè faciamus, nullámque iniuriam cuiquam inferamus, tamen
interficimur,cùm intereà alij alicubi & arbores venerentur & flumina,&
E mures & feles & crocodilos,multáque animātia, quæ ſunt expertia ratio-
nis, nec eadem omnes colant, ſed alia aliis locis. Ita fit,vt impij alij aliis
ſint omnes propterea,quòd non eadem omnes venerentur:quod quidem

nobis vnũ obijcere poteſtis,nos non eoſdem quos vos,Deos venerari, nec mortuis nidores,ſacrificia, coronas,hoſtias offerre.Vos enim hoc primùm prauè intelligitis,non eadē apud eos apud quos dij,& apud quos beſtię coluntur,ſtata eſſe ſacra:deinde ex omni hominum genere priſcos illos Liberum patrem qui ex Semele,& Apollinem qui ex Latona natus eſt, eſſe veneratos,qui fœdis obſcœniſque puerorum amoribus quæ egerint, dictu etiam turpe eſt:alios Proſerpinam & Venerem, quæ Adonidis forma captæ ſunt ad inſaniam,quibus etiam ſacra facitis:vel Æſculapium, vel aliquem Deorum qui ſunt in nomine & gloria . Et quanquam mors nobis proponitur Ieſu Chriſti nomine,tamen hos contempſimus,Deo autē qui ortu caret nec pati poteſt,noſmetipſos conſecrauimus, quem nec ad Antiopam cæteraſq; ſimiles,nec ad Ganymedem amore impulſum veniſſe credimus:nec ſolutum eſſe Thetidis beneficio per centimanum illum,nec ob eam cauſam pro Thetidis Achille laborantem Briſeidis ſcorti cauſa magnam Græcorum multitudinem deleuiſſe:atque eorum qui credunt nos miſeret,horum auctores,dæmones eſſe ſcimus.Prætereà poſt Chriſti in cęlum aſcenſum nonnullos homines à Dæmonibus inductos , qui deos ſe eſſe iactarent, qui non modò à vobis ſupplicio affecti non ſunt, ſed etiã honoribus veneratioéque digni habiti.Simonem quendam Samaritanũ ex vico qui Triton dicebatur,qui Claudio Cæſare regnante,cùm arte dæmonum magica opera edidiſſet, in regia veſtra vrbe Roma, Deus iudicatus eſt,ſtatuæque honos ei vt Deo à vobis tributus eſt:eáque ſtatua in Tiberi inter pontes duos erecta eſt cum hac Latina inſcriptiōe,Simoni Deo ſancto:omnéſque ferè Samaritani,& aliarum etiam nationum pauci,eum tanquam primum Deum profitentes,colũt,atque venerantur:Helenámq; quandam,quæ cum eo tum verſata & peregrinata eſt,primũ in tecto ſtatuerunt,deinde eius notionem primam extitiſſe ferunt.Menandrum verò quendam etiam Samaritanum ex vico Capparetæa,qui Simonis diſcipulus fuit , à dæmonibus etiam impulſum Antiochiæ cùm eſſet, multos in errorem arte magica induxiſſe ſcimus:idémque diſcipulis perſuaſit,ſe non eſſe morituros,ſuntque nonnulli ab illo orti,qui hoc etiam nunc profitentur.Marcionem etiam quendam Ponticum,qui nunc etiam ſuperſtes eſt, docendóque credentes eò impellit,vt alium Deum quendam eo qui hæc omnia effecit,maiorem eſſe exiſtiment : idémque procurauit Dæmonum inſtinctu , vt in omni hominum genere multæ contumeliæ & conuitia iacerentur, Deúſque vniuerſitatis huius effector negaretur, aſſereretúrque alius quidam,qui vt maior eſt,ſic maiora quàm ille,fecerit.Omnes quidem qui ab his prodeunt,Chriſtiani,vt dixi,nuncupantur,quemadmodũ etiam philoſophi,cùm eorum non ſint eadem decreta cõmunia,cõmune philoſophiæ nomen quod dicitur,obtinent.Sed nũ ea facinora ignominiæ dedecoríſq; plena quæ vulgò feruntur,perficiãt,vt lucernæ reſtinctionē,impudicóſque concubitus,humanarúmque carnium eſum,ignoramus. Hoc autem ſcimus , à vobis eos nec exagitari etiam propter decreta , nec morte mulctari. Eſt porrò à nobis etiam liber in omnes hæreſes & ſectas

quæ

A B C D E

A quæ extiterunt ordine ſcriptus, quem ſi legere vultis, dabimus. Nos verò vt neminem perſequamur, nec impiè faciamus, exponere etiam quæ procreantur, improborum eſſe didicimus. Primùm quidem quòd omnes ferè cernimus libidinis explendæ cauſa producere nō ſolū virgines, ſed etiā pueros: & quemadmodum veteres dicuntur boum, aut caprarum, aut ouium greges aluiſſe, aut equorum armenta, ſic nunc etiam pueros ad obſcœnum vſum ſolùm, itémque fœminarum, & eorum qui vtrumque ſexum ementiuntur, & eorum qui nefaria perficiunt, multitudinem in omnibus prouinciis ac regionibus ad hoc ſcelus eſſe conſtitutam: atque ab ijs mercedem, tributa, & vectigalia accipitis, cùm ex veſtro imperio hæc omnia extirpari & euelli oporteret: & quiſpiam eorum qui cum his cōſue-
B tudinem habent in concubitu tam à Dei religione abhorrenti, támq; impio & impudico, ſi ita res ferat, cum filio, vel cognato, vel fratre miſcetur. Alij verò ſuos etiam liberos & coniuges producunt ac proponunt: nonnullíque apertè ad libidinem explendam execantur, matríque deorum ſacra faciunt, & apud omnes Deos qui à vobis probātur, anguis nota & quaſi teſſera magna & myſteriū proditur: eáq; quæ à vobis apertè ac palàm fiūt laudíq; ducuntur, quaſi ſublatum ſit, neq; adſit diuinum lumen, nobis aſcribitis: quod quidem nobis qui ab eo abhorremus vt aliquid eorum agamus, damnum non affert, ſed ijs potiùs qui ea agunt, & falſum pro teſtimonio dicunt. Apud nos enim primus malorum geniorum dux, ſerpens vocatur
C diabolus & Satanas, quemadmodum vos etiam ex veſtris hiſtoriis publicíſque monumentis intelligere poteſtis, quē in ignem coniectum iri vnà cum ipſius exercitu iiſq; hominibus qui eum ſequuntur, ſupplicij æterni cauſa, Chriſtus prædixit. Patientia enim Dei qua ductus hoc nondum perfecit, propter genus hominum euēnit. Scit enim nonnullos ſalutem pœnitentia conſecuturos eſſe, & aliquos nondum eſſe procreatos: principióque genus hominum intelligentiæ mentíſque particeps, & quod verum ſequi poſſet, condidit, vt cuiquam homini apud Deum nulla ſit reliqua defenſio. Rationis enim & cognitionis, contemplationíſque participes effe-
D cti ſunt. Quòd ſi quis hæc Deum curare non credit, is profectò aut eum non eſſe arte & aſtutia profitebitur, aut ſi ſit, vitijs & malitia lætari cōcedet, aut ſaxo ſimilem manere, nihílque eſſe virtutem ac vitium: putabítque ſolùm homines hæc bona aut mala exiſtimare, quæ impietas & improbitas eſt maxima. Iam verò ne quis eorum qui expoſiti erant, iterum comprehenſus morte mulctaretur, parricidæque eſſemus, aut principio vxores non ducebamus niſi liberorum educandorum cauſa, aut repudiato ſpretóque coniugio, omnino cœlibes viuimus: iámque extitit quidam ex noſtris, qui vt vobis perſuaderet, non eſſe nobis ſacrū & myſterium
E obſcœnum & impudicum concubitum, libellum Felici præfecto Alexandriæ obtulit, petens, vt medicum ſineret teſtes ſuos præcidere. (Hoc enim ſine præfecti permiſſu fieri nefas eſſe, medici qui illic erant, aſſeuerabant.) Cúmque Felix hoc nullo modo vellet concedere, adoleſcens in ſententia permanens, & in ſua & in eorum qui idem ſentiebant,

cõſcientia acquieuit. Nec verò alienum eſſe duximus hoc loco Antinoum A
qui modò extitit, commemorare, quem etiam omnes metu coacti, pro
Deo colere inſtituerunt, cùm & quis & vnde eſſet ſcirent. Verùm ne
quis nobis obiiciat, nihil prohibuiſſe etiam eum qui à nobis Chriſtus dicatur, qui homo ex hominibus ſit, diuinatione ea mira opera quæ commemoremus, edidiſſe, ob eámque cauſam viſum eſſe Dei filium: iam hoc docebimus, nec ijs quæ feruntur, fidem habebimus, ſed ijs vatibus qui prędixerunt antè quàm fierent, neceſſariò credemus, propterea quòd oculis, vt prædictum eſt, facta eſſe & fieri cernimus: quæ quidem vobis quoque, vt noſtra fert opinio, & maxima & veriſsima demonſtratio videbitur. B
In Iudæa quidem homines quidam extiterunt Dei vates & prophetæ, per quos Spiritus propheticus, ea quæ futura erant, antè quàm fierent, prædixit: atque in his reges cùm pro tempore fuiſſent, vaticinationes & prophetías quemadmodum oſtenſæ ſunt, cùm prædicerentur, Hebraico ſuo ſermone in libris ab ipſis prophetis ſcriptas aſſeruarunt. Cùm autem Ptolemæus Ægyptiorum rex bibliothecam pararet & inſtitueret, omniáque hominum ſcripta colligere conatus eſſet, harúmque prophetiarum fama ad eum peruagata eſſet, ad Herodem qui tum regnum tenebat, miſit, pétens vt ad ſe prophetiarum libros mitteret. & Herodes quidem rex Hebraico ſermone, quem dixi, ſcriptas miſit: ſed quoniam ea quæ in eis ſcripta erant, Ægyptij minùs intelligebãt, rurſus eum, vt homines qui illas in Græcũ ſermonẽ transferrent mitteret, rogauit: quod cùm perfeciſſet, libri & apud Ægyptios ad hæc tempora permanſerunt, & vbique apud Iudæos omnes ſunt, quos legentes nõ intelligunt, ſed inimicos nos, hoſteſq; ducũt, eodémq; modo nos quo vos ipſi, interficiunt & puniunt, cùm eis poteſtas datur, vt etiam credere poteſtis. Etenim bello Iudaico, quod nuper geſtum eſt, Barchochebas defectionis Iudæorũ princeps, Chriſtianos ſolos ad grauia ſupplicia, niſi Ieſum Chriſtum negarent, maledictíſq; & cõtumeliis afficerent, rapi iubebat. In prophetarũ quidem libris inuénimus prædictũ, aduentantẽ & naſcentem ex virgine, virũ effectũ, curantem omnem morbũ D
omnémq; infirmitatẽ, ac mortuos ab inferis excitantem, inuidia flagrantẽ, incognitũ & in crucem actũ Ieſum noſtrum Chriſtũ mortuum, excitatum in cęlúmq; reuertentẽ, Deíq; filiũ eſſe & vocatum, quoſdámq; ab eo miſſos ad omne genus hominũ, qui hęc prædicarẽt, & eos homines qui ex gẽtibus eſſent, ei potiùs credere docerẽt. Hęc aũt prędicta ſunt à vatibus antè quàm ipſe apparuit, aliàs quinq; antè annorũ millibus, aliàs tribus, interdũ duobus, interdũ mille annis, aliquãdo octingẽtis. Nã pro generũ ſucceſsionibus, alij
Gen. 49. atque alij prophetæ extiterunt. Moſes quidẽ qui prophetarum primus fuit, dixit hoc modo, Non deficiet princeps ex Iuda, nec dux ex eius femore, dum veniat qui mittendus eſt, íſque erit gentium expectatio, ad vitem E
pullum ſuum deligans, abluens in vuæ ſanguine ſtolam ſuam. Veſtrum eſt igitur diligenter exquirere ac diſcere, quod ad tempus princeps atque rex apud Iudæos eorum verus ac proprius fuerit. fuit profectò vſque ad illud, cùm Ieſus Chriſtus præceptor noſter extitit & ſe patefecit,

Ἡρώδης eſt ſcriptum in Græco, ſed vitioſe.

A qui ignotarum prophetiarum interpres fuit, quemadmodum prædictum
eſt à diuino ſanctóque prophetiæ Spiritu per Moſem, non defuturum
principem in Iudæa,dum is cui regnum promiſſum reſeruatúmque erat,
veniret. Iudas enim Iudæorum genus fuit,à quo etiam Iudæi nominati
ſunt,vóſque poſteà quàm ille extitit & apparuit, Iudæis quoque impera-
uiſtis, eorúmque regiones obtinuiſtis. Illud autem, Is gentium expecta-
tio erit, ſignificabat fore,vt eum rurſus omnium gentium homines ven-
turum expectarent: id quod vobis & oculis videre licet, & re credere.
Ex omnibus enim generibus hominum,eum qui cruci ſuffixus eſt,expe-
ctant,qui vt primùm ſe oſtendit, Iudæorum terra vobis armis tradita eſt.
Illud porrò, Deligans ad vitem pullum ſuum, ſtolámque ſuam in vuæ
B ſanguine abluens, ea ſignificabat, quæ Chriſto euentura erant,quæque
ipſe erat acturus. Pullus enim quidam aſinæ in vici cuiuſdam introitu ad
vitem vinctus & deligatus ſtetit, quem tum diſcipulis vt ad ſe adduce-
rent, imperauit: qui cùm adductus fuiſſet, in eo ſedit, introiuítque Hie-
roſolyma, qua in vrbe maximum erat templum Iudæorum, quod poſteà
à vobis euerſum eſt. Idémq; poſteà in crucem actus eſt,vt reliquum pro-
phetiæ impleretur. Illud enim, Abluens ſtolam ſuam in vuæ cruore, ſi-
gnificabat genus mortis quam perpeſſurus erat,ſanguine eos qui ipſi cre-
dunt,expians. Quæ enim ſtola à diuino Spiritu per prophetam vocata
eſt, homines ſunt qui ei credunt, in quibus Dei ſemen habitat, id eſt
C verbum.Quod verò dictum eſt,Sanguis vuæ, ſanguinem quidem habere
eum qui venturus erat, ſignificat: ſed non ex ſemine humano, verùm ex
vi diuina.Prima autem vis ac virtus ſecundumDeum omnium parentem
ac Dominum,filius etiam Verbum eſt, quod quodam modo caro factum
homo factus eſt, id quod mox docebimus. Quemadmodum enim vuæ
ſanguinem non homo fecit, ſed Deus: ſic etiam hoc ſignificabat, non ex
humano ſemine factum iri ſanguinem,ſed diuina vi ac virtute, vt antè
diximus. Alius quoque propheta Eſaias nomine,eadem alijs verbis prę-
dicens, ſcripſit his verbis, Stella ex Iacob orietur, & flos ex Ieſſæ radice
D erumpet, atque in eius brachio gentes ſperabunt. Stella autem lucida
orta eſt, flóſque ex Ieſſæ radice prodiit, hic Chriſtus. Eum enim vir-
go quæ à Iacobo originem duxit,qui Iudæ,quem Iudæorum patrem eſſe
dixi, pater fuit, Dei vi ac virtute peperit: & Ieſſæ genus quidem ip-
ſe ex oraculo & vaticinatione fuit, Iacobi autem & Iudæ generis ſuc-
ceſsione erat filius. Rurſus ab Eſaia prædictum eſſe, fore, vt ex virgine
naſceretur,audite.Scripſit autẽ his fere verbis,En in ventre virgo habebit,
pariétq; filium,&vocabitur Nobiſcũ Deus.Quæ enim incredibilia erãt, pu
tabántq; homineseuenire fieríque non poſſe,eaDeus per propheticũ Spi-
E ritũ fore prædixit,vt cùm facta eſſẽt,ex eo quod prædicta eſſent,crederetur.
Sed ne quis non intellecta prophetía quam explicauimus, ea nobis ob-
ijciat, quæ Poëtis obiecimus, qui dicant rei venereæ libidiníſque cauſa
Iouem admulieres veniſſe,orationem planiorem facere conabimur.Illud
igitur,Ecce virgo in vtero habebit,ſignificat non cõcubitu virginem eſſe

concepturam,(Si enim quiſpiam cum ea concubuiſſet,non iam virgo fuiſſet) ſed Dei vis ad virginem adueniens, ei obumbrauit, fecítque vt virgo grauida eſſet.Quinetiam Dei angelus qui ad eã tum miſſus eſt,ei hæc narrauit,Ecce in vtero concipies ex Spiritu ſancto,& paries filium,iſq; altiſsimi filius vocabitur,eiúſque nomen Ieſum vocabis.Is enim populum ſuum à peccatis ſuis ſeruabit:quemadmodum ij qui omnia quæ ad conſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum pertinent,cõmemorarunt,tradiderunt,quibus aſſenſi ſumus:quandoquidem etiam per Eſaiam,quem antè interpretati ſumus, propheticus Spiritus hunc naſciturum quemadmodum paulò antè indicauimus,aſſeruit. Spiritũ ergo vímq; Dei nefas eſt aliud intelligi, niſi Verbũ, quod etiam primigeniũ Dei eſt, ſicuti Moſes propheta quẽ diximus,indicauit.Atq; hic ſuo ad virginem aduentu,& adumbratione,non concubitu,ſed vi eam grauidã effecit.Nomen autem Ieſu Hebraico ſermone,Græco eum,qui ſalutẽ dat, declarat.Hinc angelus virgini dixit,Et vocabis nomen eius Ieſum.Ipſe enim populum ſuum à peccatis ſuis ſeruabit. Eos autẽ qui res futuras prædicunt,& vaticinantur alio nullo afflari niſi diuino verbo,vos quoq; vt ſtatuo,fatebimini.Vbi verò naſciturus eſſet,quẽadmodum alius propheta Michęas prædixerit,audite.Hęc illius verba ſunt, Et tu Bethleem terra Iudæ,nequaquam minima es in principibus Iudę,Ex te enim exibit dux qui reget populum meũ.Vicus eſt autem quidam in regione Iudæorum, qui quinque & triginta milibus Hieroſolymis abeſt,in quo Ieſus Chriſtus natus eſt,id quod etiam intelligere poteſtis ex cenſibus qui coacti ſunt Quirino primo veſtro in Iudæa Prætore. Chriſtum verò alijs hominibus cùm natus eſſet,incognitum fore ad illud tẽpus, cùm vir factus eſſet,quod etiã euẽnit,vt intelligatis,ea audite,quę eò prędicta ſunt. Sunt autẽ hæc,Puer natus eſt nobis,& iuuenis nobis datus eſt,cuius imperium in eius humeris.Illud quod addidit,Humeros,vim crucis ſignificat, quemadmodum progreſſu orationis planius fiet. Rurſus idem Eſaias Spiritu prophetico afflatus, Ego, inquit, expandi manus meas ad populum incredulum & aduerſantem, & eos qui via non bona ambulant . Quærunt nunc à me iudicium, & ad Deum accedere volunt. Alio etiam loco per alium prophetam,Ipſi,inquit,pedes meos foderunt & manus, ſortéſque de veſte mea iecerunt. Dauid quidem & rex & propheta qui hęc dixit,nihil horum pertulit:Ieſus autẽ Chriſtus manus expandit,& tetẽdit cùm cruci ſuffixus eſt à Iudæis ei cõtradicentibus, eúmque Chriſtum eſſe negantibus. Nam quemadmodum vates ait,eum rapientes ad tribunal, dixerunt,Iudica nobis.Illud porrò,Foderunt manus meas & pedes, ſignificatio erat eorum clauorum qui in eius manibus ac pedibus defixi ſunt. Et poſteà quàm eum in crucem egerunt, ſortes in illius veſtes iecerunt diuiſerúntque inter ſe ij qui eum in crucem ſuſtulerunt . Hæc autem geſta eſſe,ex ijs actis quę Pontio Pilato Prætore facta ſunt, perſpicere poteſtis.Atque vt intelligatis prædictum eſſe eum planè in aſinæ pullo ſeſſurum introiturúmque Hieroſolyma,Sophoniæ prophetę vaticinationis verba commemorabimus. Sunt autem hæc, Gaude vehementer filia Sion, prædica

Margin notes (left): *Luc.1.*; *Mat.1.*; *Luc.1.*; *Matth.1.*; *Mich.5.*; *Eſa.9.*; *Ibidem.65.*; *Cap.58.*; *Pſal.21.*; *Zacha.9.*

Margin letters (right): A; B; C; D; E

A prædica filia Hieruſalem,ecce rex tuus venit tibi manſuetus,in aſina ſedēs pullóq; iumenti.Cùm autē prophetarum verba quaſi à perſona auditis,no lite ea ab ijs qui Spiritu afflati ſunt,dici exiſtimare,ſed à verbo diuino quod eos permouet.Interdum enim prænunciando res futuras dicit, interdū vt ex perſona Dei Domini parentíſq;omnium loquitur:nonnunquam quaſi ex Chriſti perſona, aliàs vt ex perſona populorum Domino vel patri eius reſpondentium:cuiuſmodi etiam apud vos in hiſtoricis perſpici licet,cùm vnus quidem ſit qui ſcribat omnia,perſonæ autem quę differunt pronuncient:quod cùm non intellexiſſent Iudæi qui prophetarum libros habent, non modò nō cognouerunt Chriſtum qui vênit,ſed nos etiam qui eum B veniſſe dicimus,& quemadmodum prædictum eſt,ab eis actum in crucē, docemus,oderunt.Quod quidem vt vobis etiam planum fiat,ex perſona Patris per Eſaiam prophetā quem dixi,hæc verba prolata ſunt,Nouit bos poſſeſſorem,& aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non agnouit, & populus meus non intellexit.Væ genti peccatrici,populo pleno peccatorum,ſemini nequam:filij iniqui Dominum reliquiſtis.Et rurſus alio loco cùm idem propheta eodem modo ex perſona Patris ait, Quam mihi domum ædificabitis?inquit Dominus,cælū mihi eſt ſolium,& terra ſcabellū pedum meorum.Rurſúſque alio loco,Calendas veſtras ſabbatáq; veſtra o- C dit anima mea,& magnum ieiunij diem & torporem non fero:nec ſi veneritis ad videndum me,vos audiam:manus veſtræ plenæ ſunt ſanguinis. Et ſi offeratis ſimilam,& thus,ea deteſtor:ſaginam agnorum, taurorúmq; ſanguinē reſpuo.Quis enim hæc ex manibus veſtris requiſiuit?Sed diſſolue omne iniquitatis vinculū, rumpe obligationes violentarum ſyngrapharū: eum qui domum non habet,& qui nudus eſt,operi ac tege:frange eſuriēti panem tuū.Quæ ergo & qualia Deus per prophetas doceat, intelligere poteſtis.Cùm autē ex Chriſti perſona propheticus Spiritus loquitur, dicit hoc modo,Ego manus meas extendi ad populū incredulū & aduerſantem, ad eos qui via nō bona ambulāt.Et iterum,Tergus meū flagris exhibui,& D malas meas colaphis:faciem autē meam nō auerti à dedecore ſputorum:& Dominus mihi adfuit:ob eámq;cauſam nullo pudore affectus ſum,ſed faciem meā firmæ petræ inſtar poſui,cognouíq; me nullo pudore affectum iri,quòd propè adeſt qui me iuſtum reddidit.Rurſúſq; cùm ait,Iecerunt in veſtem meam ſortes,& manus meas pedéſq; foderunt:Ego verò dormiui & ſomnū cepi,atq; excitatus ſum ab inferis, quòd Dominus me ſuſcepit. Et rurſus cùm ait,Locuti ſunt labris,mouerunt caput dicentes,Se ipſe eripiat:quę quidē omnia à Iudæis Chriſto facta ſunt,vt intelligere poteſtis.Eo enim in crucem ſublato,labra diſtorquebāt, capitáq; mouebant,dicentes, Qui mortuos ab inferis excitauit,ſemetipſum eripiat.Cùm autem vt futura prædicēs propheticus Spiritus dicit,ita loquitur, Ex Sion enim exibit lex, E Verbúmque Domini Hieroſolymis,&gentes iudicabit,& multos populos arguet:conflabúntque gladios ſuos in aratra & vomeres ſuos in falces:nec gens in gentem gladium accipiet,nec iam bellum gerere diſcent. Atque ita factū eſſe,credere poteſtis.Hieroſolymis enim duodecim viri numero

Eſa.1. *1.Cap.* *Eſa.58.* *Eſa.50.* *Pſal.21.* *Pſal.3.* *Eſa.2.*

in mundum exierunt, iíque ignari & idiotæ, nulláque dicendi facultate A
præditi, vi diuina omni hominum generi expoſuerunt, miſſos ſe eſſe à Chriſto qui omnes Dei verbum docerent. Ac nos qui quondam mutuis cædibus noſmetipſos contaminabamus,non modò nō gerimus bellum cū inimicis & hoſtibus, ſed etiam ne mentiamur, eóſque qui nos quærunt, captemus & fallamus,libenter Chriſtum profitentes mortem oppetimus. Poteramus enim id quod fertur,Iurauit lingua,mentem iniuratam gero, in hoc facere, rem iam ridiculam vobis quidem, qui milites volentes in delectu etiam vitæ ſuæ ac parentibus, patriæque & propinquis omnibus, profeſsionem veſtram iuriſiurandíque religionem cogitis anteponere,cùm nihil immortale eis præſtare poſsitis: nos autem qui immor- B
talitatis cupiditate ducimur,non poſſumus non perferre omnia,vt ea quę cupimus,ab eo qui dare poteſt, conſequamur. Sed audite quæſo, quid de ijs qui eius & doctrinam prædicauerunt, & aduentum potentiámque expoſuerunt,prædictum ſit à propheta & rege quem paulò antè dixi, per
Pſal.18. propheticum Spiritum,Dies diei eructat verbū,& nox nocti ſcientiam indicat.Non ſunt loquelæ neque ſermones,de quibus voces eorum non audiantur.In omnem terram ſonus eorum exiuit,& in fines orbis terrarū eorum verba peruaſerunt.In ſole tabernaculum ſuum poſuit,& ipſe tanquàm ſponſus ex thalamo ſuo prodiens.Geſtiens vt gigas curſum ſuum cōficiet. C
Iam verò non alienū duximus,alia etiā eiuſdem Dauîdis prophetiæ verba cōmemorare,ex quibus vobis intelligere liceat, quemadmodū prophetarū Spiritus hortetur homines vt viuant,& quemadmodum exponat Herodē Iudæorum regem,Iudæóſque ipſos,ac Pilatum qui apud eos prætor veſter fuit,vnà cum ipſius militibus in Chriſtum infeſtos ſimul veniſſe:illud etiā prædictum eſt futurum,vt ex omni hominum genere ei crederetur, íſque à Deo filius appellaretur,omnéſq; illius hoſtes ei parérent,dæmones quoq; quantum in ipſis eſt,& Dei omnium parentis ac domini,& ipſius Chriſti
Pſal.1. potentiam fugere conarentur, & Deus omnes ad pœnitentiam vocaret, antè quàm iudicij dies veniat.Sic autem habent,Beatus vir qui nec impio rum,improborúmq; conſilio interfuit,nec in via peccatorum ſtetit,nec in D
ſede peſtiferorum ſedit: Sed in lege Domini voluntas eius,& in eius lege die noctúque meditabitur. Erítque tāquàm lignum quod ad aquæductus ſatum eſt,quod idem fructū ſuum tempore ſuo feret,foliúmq; eius nō deci det,& omnia quæ faciet,proſperè euenient.Nō ſic impij,nō ſic, ſed quaſi puluis,quē vētus ex terra defert & proijcit.Ob eámq; cauſam impij non re ſurgēt in iudicio,nec in cōſilio iuſtorū peccatores:quòd iuſtorū viuēdi viam Dominus cognoſcit,viáq; viuēdi impiorū peribit.Cur fremuerūt gentes,po
Pſal.2. puliq; inania & futilia meditati ſūt?Præſtò fuerūt reges terræ,principéſq; ſeu magiſtratus cōmuni cōſenſu in Dominū eiúſq; Chriſtū infeſti venerūt,dicētes,Dirumpamus eorū vincula,& à nobis eorum iugum excutiamus.Qui E
habitat in cęlis eos irridebit,eóſque Dominus naſo ſuſpendet.Tum iracūdia cōcitatus cū eis loquetur,atq; eos furens cōturbabit.Ego autē rex ab eo pręfectus ſum Sion ſancto eius mōti,Domini præceptum prædicās.Dominus

A minus mihi dixit, Meus es filius: ego hodie te genui. Poſtula à me, tibíque gentes dabo hæreditatem tuam, & fines terræ poſſeſsionem tuam.
Reges eos virga ferrea, & tanquàm vas figuli eos effringes. Nunc reges
intelligite, erudimini omnes, qui terram iudicatis. Domino cum metu ſeruite, eíque exultate cum tremore. Apprehendite diſciplinã, ne aliquando
iraſcatur Dominus, & viam iuſtam perdatis: cùm breui ira eius exarſerit,
beati omnes qui in eo ſpem ſuam collocant. Rurſus alia prophetia indicans propheticus Spiritus per eundem Dauîdem, Chriſtum poſteà quàm
in crucem actus fuiſſet, regalem poteſtatem eſſe obtenturum, ait hoc modo, Canite Domino omnis terra, & nunciate quotidie eius conſeruatorẽ.
B Magnus eſt enim Dominus & valde laudabilis, metuendus magis, quàm
omnes Dij, quippe cùm dij omnes gentium dæmoniorũ ſimulachra ſint,
Deus autem cælos effecerit. Gloria & laus inconſpe ctu eius, fortitudo &
gloria in eius ſanctitatis loco. Tribuite Domino ſeculorum parenti gloriam: accipite gratiam & in conſpectum eius procedite, & adorate in ſanctis eius atriis. Timeat cõſpectum eius omnis terra, recte faciat, neq; moueatur. Lætamini in gentibus, Dominus poſt lignum regalem poteſtatem
habuit. Cùm propheticus Spiritus res futuras ſic narrat, quaſi iam ſint geſtæ ac præteritæ, quemadmodum etiam ex iis quæ antè dicta ſunt exiſti-
C mari licet, vt excuſationem & defenſionem ne præbeat legentibus, hoc
quoque exponemus, & explanabimus, ea quæ omnino cognita ſunt, &
decreta, futura eum, vt iam præterita prædicere. Atque vt ita accipiẽdum
intelligatis, attentè audite quæ dicuntur. Dauid annis mille & quingentis antè quàm Chriſtus homo factus in crucem ageretur, ea quæ antè dicta ſunt, ſcripſit: nec quiſquam qui ante illum cruci ſuffixus eſt, gentibus
lætitiam attulit, neque verò quiſquam eorum qui illum ſecuti ſunt. Noſter autem Ieſus Chriſtus cùm cruci ſuffixus & mortuus eſſet, ab inferis
excitatus eſt, regnauítque cùm in cælum aſcendit, afficiuntúrq; lętitia nationes omnes ex iis quæ ab eo per Apoſtolos prædicata ſunt, qui eam quã
D ille nunciauit expectant immortalitatem. Sed ne quis iis quæ à me antè
commemorata ſunt, adductus, fati neceſsitate fieri omnia quæ fiant putet nos dicere, quòd ea quæ antè ſtatuta ſunt, prædicantur: hoc etiam explicamus, nos ſupplicia & pœnas, atque præmia pro dignitate actionum
redditum iri, à prophetis didiciſſe: ídq; verè enunciamus, quandoquidem
ni ita eſſet fatóque fierent omnia, ne ei quidem quod in nobis ſitum eſt,
loci aliquid relinqueretur. Si enim in fatis eſt, hunc eſſe bonum, malúmque illum: neque ille probandus eſſet, neque hic reprehendendus. Ac niſi *Liberũ arbitrium.*
libero arbitrio atque iudicio genus hominum & res turpes fugere poteſt, & pulchras ac bonas ſequi, extra cauſam culpámque eſt eorum quæ
E quoquo modo aguntur. Sed ipſum libero arbitrio liberáque voluntate &
rectè facere, & peccare, docemus hoc modo, hominem ipſum contraria
exercere ac facere cernimus. Quòd ſi fato fieret, vt eſſet aut improbus,
aut bonus, profectò contraria in eum cadere nunquam poſſent, nec ſæpiſsimè mutaretur, quin ne alij quidem probi eſſent, alij mali, alióqui fa-

tum cauſam malorũ eſſe,cõtrariáque ſibi facere ſentimus:aut illud quod A
antè dictũ eſt,videri verũ eſſe,nihil eſſe virtutẽ nec vitium,ſed opinione ſo
lùm bona & mala iudicari:quæ,vt vera ratio docet,maxima eſt & impie-
tas & iniuſtitia. Verũ fatũ hoc immutabile eſſe dicimus, iis qui præclaras
bonáſq; res eligunt,ac ſibi proponũt,digna pręmia,itémq; iis qui cõtraria,
digna præmia conſtituens. Non enim vt alia,veluti arbores & quadrupe-
dia,quę nihil volũtate & iudicio facere poſſunt,ſic hominẽ Deus cõdidit.
Neq; enim pręmio ac laude dignus eſſet,ſi per ſe & à ſe bonũ non delige-
ret,ſed bonus factus eſſet:nec ſi malus eſſet,iure ſupplicio afficeretur,cùm
non à ſe talis eſſet, ſed aliud nihil eſſe poſſet, niſi quod factus fuiſſet.
Hoc autem propheticus Spiritus per Moſem docuit, qui ei homini qui B
primus conditus & fictus eſt,hæc à Deo dicta eſſe dicit,En coram te bo-
num & malum,bonum elige.Rurſus per Eſaiam alium prophetã,vt à pa-
Eſa.1. rente omnium & Domino Deo ad hoc hæc dicta ſunt,Lauamini, mun-
di eſtote:auferte malum ex animis veſtris: diſcite bonum agere: iudicate
pupillo,viduámque iuſtam iudicio veſtro oſtendite,túmq; venite, & diſ-
ſeramus, dicit Dominus:ac ſi ſint peccata veſtra vt purpura, ea vt lanam
dealbabo:ſi ſint vt coccinum,tanquàm niuem dealbabo.Quòd ſi velitis,
méque audiatis,bona terræ edetis:ſin me non audiatis, vos gladius con-
ſumet,Os enim Domini hæc locutum eſt. Quod autem dictum eſt,Gla- C
dius vos conſumet, non hoc ait, gladiùs conſumptum iri eos qui minùs
dicto audientes fuerint,ſed Dei gladius eſt ignis,cuius conſumptio fiunt
ij qui mala agenda ſuſcipiunt & eligunt. Ob eámque cauſam ait, Gladius
vos conficiet:os enim Domini locutum eſt.Nam ſi de gladio qui ſecat &
ſtatim mutatur,diceret,non dixiſſet,deuorabit, ſiue depaſcet.Quamobrẽ
In Timæo. quod ait Plato,Cauſa eſt id quod probatum & electum eſt,Deus autẽ ex-
tra cauſam culpámque eſt poſitus,id à Moſe mutuatus dixit. Antiquior
enim Moſes etiam omnibus hiſtoricis qui apud Græcos floruerunt, fuit,
omniáq, quę de animi immortalitate, vel de ſuppliciis poſt mortẽ,vel co-
gnitione contemplationéque cæleſtiũ,aut de ſimilibus decretis, & philo-
ſophi & poëtæ prodiderunt, argumenta à prophetis mutuati & intelli- D
gere potuerunt,& commemorauerunt.Itaq; in omnibus & apud omnes
veritatis ſemina videntur eſſe: ſed inueniuntur non accuratè ac planè in-
tellexiſſe,cùm ſibi ipſi contraria profiteantur. Quocirca quod dicimus,
res futuras prædictas eſſe à prophetis,non hoc dicimus,eas fati neceſsitate
ἀπαντήσεσθαι. Aptius fortaßis ἀπαιτήσεσθαι. fieri, ſed Deum,quòd prænouit res quæ agendæ ſunt ab omnibus homi-
nibus,& quòd eius decretum eſt, pro eorum quæ quiſque egerit digni-
tate vnumquemque hominem recepturum, eſſe & quæ ab eo fient, pro
dignitate eorum quæ aguntur,eſſe reſponſura,per Spiritum propheticum
prædicere,ad animi contentionem recordationémque ſemper genus ho- E
minum incitantem, dum & curare ſe eos, & eis prouidere demonſtrat.
Opera autem malorum geniorum,mors conſtituta & definita eſt in eos
qui Hyſtaſpis, vel Sibyllæ,vel prophetarum,vatúmque libros legunt, vt
metu homines qui legunt abducant ab eo,ne rerum bonarum cognitio-
nem

A nem accipiant,ſibi autem ſeruos eos detineant,quod quidẽ tandem perficere minimè potuerũt.Nam non ſolùm ſine metu eos legimus, ſed vobis quoque vt videtis,conſyderãdos afferimus, quòd exploratum habeamus fore,vt ea quæ omnibus grata ſunt,appareat.Quòd ſi paucos in noſtram ſententiam adducimus, maximum lucrum reportabimus. Nam vt boni agricolæ à domino præmium feremus.Sed vt intelligatis,omnium parentem Deum ducturum fuiſſe in cęlum Chriſtum poſteà quàm ab inferis excitatus eſſet , eúmque ibi retenturum quoad dæmones qui ei infeſti ſunt ſuperet,compleatúrque eorum numerus quos probos & virtute præditos fore prænouit,per quos etiam nondum rem ipſam corroborauit:audite hæc quæ à Dauide propheta dicta ſunt,

B Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, quoad ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.Virgam potentię tibi ex Hieruſalem Dominus mittet, & dominare in medio inimicorum tuorum.Tecum eſt principatus à die potentiæ tuæ in ſanctorum tuorum ſplendoribus: ex ventre ante luciferum te genui. *Pſal.109.* Quod ergo dictum eſt,Virgam potentiæ tuæ ex Hieruſalem tibi mittet,prænunciat verbum in quo vis erat,quod eius Apoſtoli Hieroſolymis egreſsi vbique prædicauerunt.Et quanquam mors conſtituta eſt in eos qui nomen Chriſti docent , aut omnino confitentur, nos tamen vbique & amamur,& docemus. Quòd ſi vos quoque vt hoſtes hæc verba accipitis,

C nihil ampliùs poteſtis, quàm quod antè diximus, interficere, id quod nobis quidem nullum damnum affert:vobis autem & omnibus qui iniuria infeſti ſunt,nec mutant ſententiam,pœnas ignis æternas præparat.Sed ne aliqui à ratione auerſi eorum quæ docuimus refellendorum cauſa dicant, nos confirmare Chriſtum ante mille & quingentos annos natum eſſe Quirino prætore,eum autẽ docuiſſe quę dicimus,poſteà Pontio Pilato prætore,& accuſent,quaſi omnes homines qui ſuperioribus ſeculis extiterunt extra culpam ſint : occupatione dubitationem explicemus.Chriſtum quidem Dei primigeniũ eſſe didicimus,atque expoſuimus eum rationem & verbum eſſe , cuius omne hominum genus factum eſt

D particeps,& qui cum ratione vixerunt,Chriſtiani ſunt,etiam ſi Athei habiti ſint,velut apud Græcos Socrates & Heraclitus, eorúmque ſimiles:in Barbaris autem Abrahamus,Ananias,Azarias,Miſaël & Elias, aliiq; multi,quorum acta vel nomina enumerare quoniam longũ eſſe ſcimus,nunc omittimus.Itaque ij etiam qui anteà fuerunt,& rationem in vita ducem non ſecuti ſunt,mali inimicique Chriſti extiterunt,parricidæque eorũ qui ex ratione viuunt.Qui autem ex ratione vixerunt atque viuunt,Chriſtiani,ab omni metu ſunt perturbationéque ſoluti ac liberi.Cur verò vi verbi , parentíſque omnium ac Domini Dei conſilio ex virgine conceptus natuſque ſit,ac Ieſus vocatus,& cruci ſuffixus, mortuúſque reuixerit,atq; in cælum redierit, ex iis tam multis quæ commemorata ſunt,ſapiens

E intelligere poterit . Nos autem quoniam neceſſaria non eſt hoc tempore quæ hoc doceat oratio, ad demonſtrationes neceſſarias nunc veniemus. Terram quidem Iudæorum expugnandã fuiſſe vt intelligatis,audite quæ

à prophetico Spiritu dicta ſunt. Verba autem facta ſunt quaſi ex perſona A populorum, ea quæ facta ſunt admirantium. Sunt autem hæc, Facta eſt deſerta Sion, quaſi deſerta vrbs Hieruſalem facta eſt, & domus ſancta noſtra diris deuota eſt, gloriáque quam laudarunt patres noſtri, igni deleta & conſumpta eſt, quæque in ea præclara precioſaque erant, omnia conciderunt: & hæc tuliſti, tacuiſti, nóſque valde abiecisti. Vrbem autem Hieruſalem deſertam fuiſſe, quemadmodum fore prædictum eſt, optimè ſcitis. De illius autem ſolitudine, nec quenquam eorum habitandi cauſa eò reuerſurum, ab Eſaia propheta dictum eſt hoc modo, Terra eorum deſerta, eis ſpectantibus ac videntibus eã hoſtes illorum euertẽt, nec erit ex ipſis qui eam incolat. Eam porrò à vobis cuſtodiri, vt nemo in ea ſit, mortémque in eum conſtitutam, qui introiiſſe deprehendatur, certò ſcitis. Noſtrũ B verò Chriſtũ vt morbos omnes curaturum fuiſſe, mortuóſque ab inferis excitaturũ ex prophetia intelligatis, audite hæc quę prædicta ſunt, In eius aduentu ſaltabit claudus, vt ceruus: mutorúmque lingua plana diſertáque erit: cæci videbunt, leproſi mũdabuntur, mortuíſque ab inferis excitabũtur & ambulabunt. Hæc autem ab eo facta eſſe, ex iis quę Pontio Pilato Prętore in eum facta ſunt, intelligere poteſtis: & quemadmodum à prophetico Spiritu prædictum eſt, fore vt de medio tolleretur vnà cum hominibus qui in eo ſpes omnes ſuas ſitas haberent, audite hæc quæ ab Eſaia cõmemorata ſunt, Ecce quemadmodum iuſtus periit, & nemo animo percipit: viríque iuſti de medio tolluntur, nec quiſquam conſyderat. A facie C iniquitatis ſublatus eſt iuſtus, erítque eius ſepulchrum in pace, de medio ſublatus eſt. Et rurſus, quemadmodum ab eodem Eſaia dictum eſt, populos gentium qui eum minimè expectarent, eſſe adoraturos, Iudæos autem qui eum ſemper expectant, eundem ignoraturos eſſe cùm veniſſet. Verba autem prolata ſunt quaſi ex Chriſti perſona, quæ ſunt huiuſmodi, Apparui iis qui me non interrogabant, inuentus ſum ab iis qui me non quærebant. dixi, En adſum, gentes quæ nomẽ meum non inuocauerunt. Expandi manus meas ad populũ incredulum & aduerſantem, ad eos qui via non recta incedunt, ſed peccata ſua ſequuntur, populus qui me con D citat. Iudæi enim qui prophetias habebãt, Chriſtúmque venturum ſemper expectarunt, ignorauerunt, non ſolùm autem, ſed etiã iis abuſi ſunt. Qui autem à gentibus orti ſunt, cùm nihil vnquàm de Chriſto accepiſſent ad illud tempus, cùm eius Apoſtoli Hieroſolymis egreſsi, ea quæ illius erant, nunciauerunt, prophetiáſque tradiderunt: tum gaudio fidéque completi, idolis, id eſt ſimulachris nuncium remiſerunt, Deóque qui origine caret, Chriſti benignitate ſe conſecrarunt. Atque vt intelligatis antè cognitum & prouiſum eſſe, fore vt hæc maledicta in eos qui Chriſtũ profiterentur, iacerentur, futuróſque miſeros eos, qui eum conuiciis maledi- E ctíſque afficerent, veteráq; inſtituta ſeruãda eſſe cum laude dicerent, audite quæ paucis verbis ab Eſaia perſtricta ſunt, Væ iis qui dulcia amara eſſe dicũt, & quæ amara ſunt, dulcia. Eum verò qui noſtri cauſa homo factus ſit, paſſum eſſe necari ſe & ignominia affici, rurſúſque cùm gloria

eſſe

A eſſe venturum,ex his prophetíis cognoſcite Itaque animum ſuũ ad mor- *Eſa.53.*
tem tradidit,& in numero ſceleratorum habitus eſt: ipſe peccata multo- *52.Cap.*
rum pertulit,erítque peccatoribus propitius.Ecce enim puer meus intel-
liget,extolletur,afficietúrque magna gloria. Quemadmodum tibi multi
aſſurgent,ſic ab hominibus ſpecies tua contemnetur,& gloria tua ab ho-
minibus proficiſcetur, ita gentes multæ mirabuntur: óſque ſuum reges
cohibebunt,quia quibus nihil eſt de eo nunciatum, & qui nihil audiue-
runt,intelligent.Domine,quis auditui noſtro credidit?& Domini brachiũ *53.*
cui reuelatum patefactúmque eſt? nunciauimus in eius conſpectu,vt pue-
rum,vt radicem in terra ſitienti.Non eſt in eo decor,nec gloria:vidimúſ-
B que eum, nec ſpecies in eo inerat,nec pulchritudo, ſed pulchritudo eius
præter homines ignominioſa eſt, atque euanuit: homo eſt percuſſus, di-
dicítque infirmitates perpeti:quòd os eius auerſum eſt,contemptum,nec
vllo in numero habitum. Hic peccata noſtra perfert,& cauſa noſtra do-
let:nóſque eum in labore,in plaga,& in malis iacêre putauimus: ſed ipſe
vulneratus eſt ob ſcelera noſtra, & ob peccata noſtra infirmatus eſt: di-
ſciplina pacis in eo eſt: eius liuore nos curati ſumus. Omnes quaſi oues
errauimus,ſua quiſque via errauit:eúmque propter ſcelera noſtra tradidit:
& ipſe cùm malè tractaretur, os ſuum non aperuit.Tanquàm ouis ad cę-
dem ductus eſt,& quaſi agnus corã tondente ſe mutus,ſic non aperuit os
C ſuum. Abiectione illius, eius ſublatum eſt iudicium. Nam cùm in crucẽ
ſublatus eſſet,noti etiam eius omnes qui eum ſe noſſe negaſſent,ab eo de-
fecerunt.Poſt verò cùm ab inferis excitatus eſſet,eíſque ſe oſtendiſſet,do-
cuiſſétque eos prophetías,quibus hæc omnia fore prædicta eſſent, legere,
eúmque illi in cælum reuertentem vidiſſent, atque credidiſſent, vímque
illinc ipſis miſſam ab eo accepiſſent,& ad omne hominum genus profe-
cti eſſent,hæc docuerunt,appellatíque ſunt Apoſtoli.Vt autem idem Spi-
ritus nobis patefaciat,eum qui hæc pertulit,genus habere quod explica-
ri nõ poſsit, regiáque poteſtate hoſtibus ſuis præfuturum, dixit hoc mo-
do,Ortum eius quis exponet? quòd è terra vita eius tollitur:propter eorũ *Eſa.53.*
D ſcelera raptus eſt ad mortẽ, dabóque pro eius ſepultura improbos,& pro
eius morte diuites,propterea quòd peccatũ non fecit,nec in eius ore do-
lus inuentus eſt:eum Dominus à plaga mũdare vult. Si detur pro peccato
animus veſter,ſemen quod diu manebit,cernet.Dominus eius animũ vult
à labore liberare, ei lucem oſtẽdere,informare eũ ſapientia,defendere iu-
ſtum qui multis bene ſeruiat: peccatáque noſtra ipſe perferet,ob eámque
cauſam multos ipſe hæreditatis iure habebit, fortiúmque ſpolia diuidet:
propterea quòd animus eius ad necem mortémque raptus eſt, idémq; in
ſceleratorũ numero eſt habitus,ac multorũ peccata pertulit,& propter eorũ
ſcelera deditus eſt.Eundem in cælum etiam reuerſurum eſſe,quemadmo- *Pſal.23.*
E dum prædictum erat,ex his cognoſcite,Tollite portas cælorũ, aperite, vt
rex gloriæ introeat. Quis hic eſt rex gloriæ?Dominus fortis & Dominus
potens. Eundem etiã cum gloria ex cælis venturũ eſſe cognoſcite ex his
quæ à Hieremia propheta ad hoc ipſum dicta ſunt, Ecce vt filius homi-

nis ex cæli nubibus venit,& cum eo ſui angeli. Quoniã igitur ea quæ iam A
facta ſunt omnia fore prædictũ eſſe à prophetis docemus, ea etiam quæ
ſimiliter prædicta ſunt à prophetis & futura ſunt, vt omnino futura ne-
ceſſariò credere debemus. Quemadmodũ enim ea quæ iam facta ſunt,cũ
prædicta eſſent & ignorarentur euenerunt,ſic etiã reliqua, etiam ſi igno-
rentur,nec credãtur,euenient. Duos enim eius aduẽtus prophetæ prædi-
xerunt:vnũ qui iam euênit,quaſi inglorij patibilíſque hominis: alterum,
cùm ex cælis in maieſtate vnà cum ſuo angelorũ exercitu,vt prædictum
eſt,veniet,cùm etiã hominum corpora excitabit:túmque bonorum cor-
pora immortalitate donabit,improborũ verò in æterno ſenſu cum malis
geniis in ignẽ ęternum cõijciet. Hoc autẽ ferè prędictũ eſſe docebimus,
his Ezechielis verbis,Cõmiſſura cum cõmiſſura iungetur,& os cum oſſe, B
carnéſque renaſcentur , omnéque genu flectetur Domino , & lingua o-
mnis eũ laudabit. Quo verò qualíque in ſenſu ac ſupplicio futuri ſint im-
Eſa.66. probi,ex his quæ ſimiliter ad hoc ipſum dicta ſunt,cognoſcite , Vermis
eorum finẽ non habebit nec deſinet,neque eorũ ignis reſtinguetur:túm-
que pœnitentia eos ſubibit,cùm nihil proficient. Quę autẽ Iudæi dicturi
factúrique ſint cùm eum in gloria veniſſe videbunt , Zacharias prædixit
Zacha.12. his verbis,Præcipiã quatuor ventis,vt diſperſos filios colligant:imperabo
aquiloni,vt ferat,& auſtro, ne erret:tũq; Hieroſolymis planctus magnus
erit:non oris,vel laborũ planctus,ſed cordis planctus & dolor:nec veſtes
ſuas lacerabũt,ſed mentes plangẽt tribus ad tribum,ac tum videbunt eũ, C
quẽ confoderunt, dicẽntque,Cur nos Domine à via tua aberrare feciſti?
Gloria quã patres noſtri pepererũt,nobis vitio verſa eſt. Multas quidẽ etiã
alias prophetías cùm proferre poſsimus,finẽ faciemus,quòd has ſatis mul-
tas ad ſatietatẽ iis qui aures quæ ad audiendũ & intelligendum accõmo-
datæ ſint habẽt,eſſe putemus,eóſque intelligere poſſe arbitremur,nõ eo-
dem modo quo ea quæ de Iouis liberis ficta ſunt,nos quoque ſolùm di-
cere,demõſtrare autẽ nõ poſſe. Qua enim ratione homini qui in crucẽ a-
ctus eſt,ſe & Dei qui origine caret primigeniũ eſſe,& vniuerſũ genus ho-
minũ iudicaturũ aſſerẽti crederemus,niſi teſtimonia quę de eo antè quàm D
veniſſet homóque factus eſſet,prędicta eſſent,inueniſſemus,atque ita eue-
niſſe cerneremus? veluti terrę Iudæorũ ſolitudinẽ,ex omnibus nationibus
homines eius apoſtolorũ doctrina credidiſſe:deteſtatóſque eſſe vetera in-
ſtituta, in quibus errore verſati eſſent? cùm ipſi nos qui à gentibus orti ſu-
mus & plures eſſe videamus,& veriores Iudæis & Samaritanis, Chriſtia-
nos,ſciamus. Alia enim hominũ genera omnia à prophetico Spiritu gẽ-
tes vocantur,Iudæi autẽ & Samaritani Iſraël domúſque Iacobi nominati
ſunt. Atque vt intelligatis prædictũ eſſe à vatibus,maiorẽ numerũ fore eo-
rum,qui à gẽtibus orti crederent,quàm eorũ qui à Iudęis & Samaritanis,
Eſa.54. hęc quę à prophetis prędicta ſunt,proferemus,Lętare ſterilis quę nõ paris, E
erumpe in vocẽ,& clama quæ nõ parturis,quia plures ſunt deſertæ repu-
diatæq; liberi,quàm eiuſquę virũ habeat. Deſertę enim gẽtes omnes à Deo
vero erant,quòd manuũ operibus ſeruirẽt cultúmque præſtarẽt. Iudęi autẽ
atque

A atque Samaritani cùm Dei verbũ, quod eis à prophetis traditũ eſt haberent, Chriſtũq́; ſemper expectaſsẽt: eũ cùm venit, ignorauerũt, nec agnouerũt prę-ter paucos, quos propheticus Spiritus per Eſaiã ſalutẽ cõſecuturos eſſe quaſi ex eorũ perſona prædixit his verbis, Niſi Dominus ſemẽ nobis reliquiſſet, nobis idẽ quod Sodomæ & Gomorrhæ accidiſſet. Sodoma enim & Gomorrha quædam impiorũ ſceleratorúmque hominũ oppida à Moſe literarũ monumẽtis prodita ſunt, quæ Deus igne & ſulphure incenſa diruit, eorum qui in eis erant ſeruato nemine, niſi extero quodam Chaldæo genere, cui nomen Loto fuit, cum quo etiã filiæ ſeruatæ ſunt: eorúmque regionem deſertã atque incẽſam & ſterilem, qui volunt poſſunt cernere. Eos autẽ qui à gentibus genus duxerunt, & veriores eſſe, & fideliores fore prædictum eſſe, ex his Eſaiæ *Eſa.1.*

B prophetæ verbis cognoſcite, Iſraël non circunciſo corde eſt, gentes autẽ pręputio. Hæc igitur tam multa quæ videntur, apud eos qui verũ amant, ac non gloriæ cupiditate ducuntur, nec perturbationibus ſeruiunt, ſatis virium habent cũ ratione ad perſuadẽdum. Qui autem ea quæ à poëtis ficta ſunt, tradunt, iis nullam fidẽ faciunt, præſertim ſi ea pueri ediſcant: eáque nos captãdi abducendíque generis hominum cauſa malorum geniorum opera expoſita eſſe oſtendimus. Cùm enim Chriſtum qui prædicatur à prophetis, venturũ didiciſſent, impióſque homines pœna ignis affectũ iri: multos Iouis liberos qui dicũtur, dictos eſſe obtẽderunt, quòd ſe perficere poſſe ſperarẽt, vt homines ea quę de Chriſto ferũtur, mõſtrorũ, eorúmque quæ à poëtis cõmemorãtur, ſimilia eſſe iudicarẽt. Atque hæc celebrata ſunt ſermone omniũ & apud

C Græcos & apud gẽtes omnes, vbi plures audiebãt eſſe qui prophetarũ vaticinationibus adducti Chriſto fidem haberẽt. Eos autẽ cùm ea quæ à prophetis narrantur, audirent, non planè ac probè intellexiſſe, ſed quaſi errantes ea quæ de Chriſto prædicuntur, imitatos eſſe docebimus. Moſes quidem propheta antiquitate, vt ſuprà dixi, omnibus hiſtoricis pręſtitit. Ab eo hęc, ſicuti antè diximus, prædicta ſunt, Non deficiet princeps ex Iuda, nec dux ex eius femoribus, dum veniat cui repoſitũ eſt, íſque erit gentium ſpes & expectatio: deligans ad vitem pullum ſuum, ſtolámque ſuã in vuæ ſanguine abluẽs. *Gene.49.*

D Hæc igitur prophetarum verba cùm audiuiſſent Dæmones, Dionyſium quidem Iouis filium fuiſſe dixerunt, eundémque vitis inuentorem tradiderunt fuiſſe, vinúmque in eius ſacris produnt: atque eum cùm diffuſus diſperſuſque eſſet, in cælum reuertiſſe docuerunt. Et quoniam Moſis prophetía non apertè ſignificabatur, eſſétne Dei filius is qui venturus eſſet, & vtrùm ſedens in pullo in terra moraturus eſſet, an in cælum rediturus, pullíque nomẽ tam aſini quàm equi pullũ declarare poterat, cùm minimè ſcirent, vtrũ aſini pullũ ducẽs, an equi, is qui prædicebatur, eius aduẽtus ſignificatio eſſet, & Deíne filius eſſet, an hominis, vt antè diximus: Bellerophontẽ etiam ipſum, qui homo ex hominibus natus eſt, in equo cui Pegaſus nomen erat, in cælũ re-

E uertiſſe dixerũt. Cúmque in alio propheta, qui Eſaias appellatus eſt ſcriptũ legiſsẽt, eũ ex virgine naſciturũ eſſe, ac per ſe in cęlũ rediturũ, Perſea dictũ eſſe occuparũt. Cũq́; in prophetíis quæ anteà ſcriptę erãt, illud cognouiſsẽt, Fortis vt gigas ad currendã viam, Herculẽ fortem eſſe, vniuerſámque terrã peragraſſe

aſſeuerarũt.Cùm verò rurſum cognouiſſent,fore vt idem qui prędictus erat, A
morbũ omnẽ curaret,mortuóſque ab inferis excitaret,Æſculapiũ protulerũt.
Sed nuſquã in vllo Iouis liberorũ qui dicũtur, crucis tormentũ imitati ſunt.
Neque enim latentẽ obſcurãque eius intelligebãt ſignificationẽ,vt ſuprà de-
mõſtratũ eſt iis omnibus,quæ ad hoc ipſum cõmemorata ſunt, quod quidem
vt prædixit propheta,maxima eſt eius & potẽtiæ & imperij ſignificatio,quẽ-
admodũ etiã iis quæ ſub aſpectũ cadunt,docetur·Omnia enim quæ in mũdo
ſunt,animo & ratione luſtrate,ac videte num ſine hac figura adminiſtrentur,
aut ſocietatẽ atq; cõmerciũ habere poſsint.Mare enim nõ ſecatur,niſi vexillũ
illud quod velũ dicitur,in naui ſaluũ & incolume maneat:nec terra ſine eodẽ B
aratur:foſſores,itẽque illiberaliũ & ſordidarũ artium homines opus nõ faciũt,
niſi iis inſtrumẽtis adhibitis,quę hanc figurã pręferant.Figura autẽ humana,
re alia nulla à brutis differt,niſi quòd & recta eſt,& manuũ porrectionẽ habet,
& in facie vſq; à fronte porrectas fert nares, quibus ſpiritũ animal ducit, nec
figurã aliam niſi crucis præbet. A propheta etiã ſcriptũ eſt his verbis,Spiritus
ante faciem noſtrã Chriſtus Dominus.Signa prætereà & notę quæ apud nos
ſunt,figuræ huius vim declarãt. * Etiã trophæorum,quibus progreſſus veſtri
vbiq; fiunt,imperij atq; poteſtatis ſigna in his declarãtes, etſi hoc nõ intelligi-
tis,perficitis.Imperatorum etiã qui apud vos moriũtur,ſtatuas hac figura cõſe-
cratis,Deóſq; eos literis ſcriptíſq; nũcupatis.Quamobrẽ cùm vos & ratione & C
figura quæ videtur,pro virili adhortati ſimus, poſthac extra culpam nos futu-
ros eſſe ſcimus,ſi minùs creditis. Quod enim pręſtare poſſumus, pręſtitũ eſt,
atq; cõcluſum.Malis autẽ geniis ante Chriſti aduẽtum nõ ſatis fuit,eos qui di-
cti ſũt,Iouis liberos eſſe dicere,ſed poſteà quàm apparuit,verſatúſq; eſt inter ho
mines,atq; vt à prophetis prędictus eſt,cõpererũt,& in omni genere hominũ
eicredi eúmq; expectari cognouerũt, rurſus quemadmodũ antè expoſuimus,
alios excitarunt:Simonẽ quidẽ & Menandrũ ex Samaria,qui cũ magnas vir-
tutes edidiſſent,multos in errorẽ impulerũt,& nunc etiam deceptos tenent.
Nã cùm apud vos Simon, iam vt dixi,in regia vrbe Roma Claudio Cæſare
regnãte eſſet,is & ſacrũ Senatum & populũ veſtrum adeò in admirationẽ ſui D
cõuertit,vt Deùs ſit iudicatus,eíque ſtatuæ honos tributus ſit,vt cæteris diis
qui apud vos colũtur.Itaq; petimus,vt & ſacrũ Senatũ & populũ veſtrum vnà
vobiſcũ noſtri huius poſtulati arbitros ſumatis,vt ſi quis ſit eius doctrina irreti-
tus,cognita veritate errorẽ declinare vitarẽq; poſsit,& vos,ſi ita vobis videtur,
ſtatuã deiiciatis.Neque enim mali genij exuſtionẽ incendiúmque in ſuppli-
cio malis non futurum perſuadere poſſunt, quẽadmodũ nec efficere potue-
runt,vt Chriſtus qui venit,lateret , & ignotus eſſet hominibus:ſed hoc vnũ
perficere poſſunt,vt ij qui rationẽ ducẽ in vita nõ ſequuntur,& in malis cor-
ruptíſq; inſtitutis educati ſunt,aurámque popularẽ aucupãtur,& oderint nos E
& interficiãt.quos nõ ſolùm nullo odio proſequimur,ſed etiã vt res declarat,
Obſcurus locus in Græco. miſericordia cõmoti,perſuadere eis ſtudemus,vt animũ vitámq; mutẽt. Neq;
enim mortem timemus,cùm mors planè certa & definita ſit,& nihil aliud ſit
nouum,niſi ea quę in hac rerum adminiſtratione ſunt,quorum ſatietas ſi nõ
eos qui participes fuerunt vel anno teneat , vt & ſemper ſint ab omni per-
turbatione

A turbatione ac malo liberi , & nunquàm re vlla egeant , pręcepta noſtra
attentè audire debent.Si verò non credunt aliquid eſſe ac manere poſt mor
tem,eóſque qui moriuntur omni ſenſu carere cenſent:nos cùm iis malis, &
indigentia quę hîc ſunt,liberent,bonis afficiunt, ſe autem & improbos eſ-
ſe,& homines odiſſe , & gloriæ cupiditate duci declarant. Nos enim non
quaſi liberaturi ſint, interficiunt, ſed quaſi vita & voluptate priuent, mor-
te mulctant.Marcionem quoque Ponticum genere,vt antè diximus,nobis
mali genij oppoſuerũt,qui negare quidẽ effectorem cæleſtiũ terrenorũque
omniũ Deum,Chriſtúmq; eius filiũ qui à prophetis prędictus eſt,etiã nunc
B docet:alium autẽ quendã Deum inducit pręter effectorẽ omnium,itémque
alium filiũ:cuius auctoritatẽ multi ſecuti,quaſi verò ei vni cognita ſit veri-
tas,nos irrident: & cùm eorũ quæ effutiunt demõſtrationem nullã habeãt,
ſine ratione quaſi agni à lupo correpti, pabulũ impurum decretorũ dæmo-
númque fiunt. Neque enim aliud quicquã agunt dęmones qui appellãtur,
niſi vt homines à Deo qui eos cõdidit,& à Chriſto eius primigenio abdu-
cãt & ſeparent:& eorũ quidẽ animos qui ſe efferre ſupra terrã nõ poſſunt,
in terrenis manuũque opere effectis rebus & defixerũt,& defigunt:eos autẽ
qui ſe ad diuinarum rerum cõtemplationem cõferunt,ſenſim mouẽtes niſi
C moderata prudentíque ratione pręditi ſint,vitãq; & ſanctã & ab omni per-
turbatione ſolutã ac liberam agãt,in impietatẽ & ſcelera demergũt. Vt autẽ
intelligatis à pręceptoribus doctoribúſq; noſtris(verbũ autem dicimus quod
à prophetis enunciatũ eſt)Platonem mutuatũ hoc dicere,Deũ cùm materiã
forma carentem vertiſſet,effeciſſe mundũ:audite quę ad verbũ dicta ſunt à
Moſe,quem primũ prophetã,& antiquiorem Græcorũ hiſtoricis ſuprà dixi-
mus,per quem propheticus Spiritus indicãs,quemadmodũ principio & ex
quibus hãc vniuerſitatẽ Deus effecerit,ait hoc modo,In principio fecit Deus *Gene.1.*
cęlũ & terram,terra autẽ non videbatur,& incõpoſita erat,tenebræque erant
ſuper abyſſum,& ſpiritus Domini ſuper aquas ferebatur.Et ait Deus,Fiat lux,
& ita factũ eſt.Itaq; verbo Dei & ex iis quæ propoſita ſunt,& antè expoſita à
D Moſe,mundũ omnẽ effectũ eſſe & Plato,& ij qui hęc dicũt,& nos didicimus,
& vos poteſtis credere.Quod etiã apud Poëtas Erebus dicitur,à Moſe anteà
dictũ eſſe ſcimus.Et illud Platonis in Timęo,de Dei filio naturali ratione di-
ctũ,cùm ait,In mũdo eũ X literę inſtar poſuit,à Moſe mutuatus eodẽ modo
protulit.In Moſis enim ſcriptis rurſus ſcriptũ eſt,cũ ex Ægypto Iſraëlitæ exiſ-
ſent,eſſẽtque in ſolitudine,eis beſtias quæ venenũ euomerẽt,occurriſſe,vipe-
ras,aſpides,omniáque ſerpẽtum genera,quæ populũ interficerẽt:Moſémque
ipſum afflatu víque diuina, æs ſumpſiſſe, ex eóque figurã crucis feciſſe,fixiſ-
ſéq; in ſancto tabernaculo, túmq; dixiſſe populo,Si figurã hanc reſpexeritis
& credideritis,eius vi ſalui & incolumes eritis:quod cùm à populo perfectũ
E eſſet,ſerpentes quidẽ periiſſe ſcribit,populũ autem effugiſſe mortẽ. Sic Plato
hęc cùm legiſſet,nõ planè ſciens nec intelligẽs crucis figurã,prodidit,ſed X
literæ figura intellecta,vim quæ primo Deo proxima erat,in modũ X literę
porrectã eſſe dixit.Illud etiã,Tertium ipſum,dixit,quòd apud Moſem ſcri-
ptũ legiſſet,Dei Spiritũ ſuper aquas ferri.Secũdũ enim locũ Dei Verbo iam
vt diximus,dedit,quod in mundo X literæ figura & ſpecie extẽtũ eſſe narra-

uit. Tertium autẽ Spiritui quem ſupra aquas ferri à Moſe ſcriptũ eſt, cùm ait, A
Deute.32. Tertia autem tertio. Spiritũ autem propheticum per Moſem pœnam ignis futuram prædixiſſe, ex his eius verbis cognoſcite, Deſcendet æternus ignis, & vſque ad profundum deorſum deuotabit. Non igitur eadem nos quæ alij ſentimus, ſed omnes noſtra imitantes dicunt. Quamobrem hæc apud nos audire licet ac diſcere ab iis qui ne figuras quidem elemẽtorum ſciunt & oratione quidem idiotæ ſunt ac Barbari, cęcique & capti oculis, mente autem ſapientes & fideles, vt hæc intelligant non ſapientia humana eſſe facta, ſed vi Dei dici. Quo autem modo nos per Chriſtum noui effecti Deo conſecrauerimus, narrabimus, ne hoc prætermiſſo, aliqua in parte expoſitionis improbè facere videamur. Qui ſibi perſuadent, & credunt vera eſſe B
hæc quæ à nobis dicentur, ac dicuntur, ſeque ita viuere poſſe promittunt: ij primùm & precari & petere à Deo præteritorum ſuperiorúmque peccatorum remiſsionem ieiunantes docentur, nobis vnà cum eis & precantibus, & ieiunantibus. Deinde ducuntur à nobis vbi eſt aqua, eóq; vt ita dicam, regenerationis renouationíſque genere quo etiã nos ipſi renouati ſumus, renaſcuntur. Patris enim omniũ, Dominíque Dei, & cõſeruatoris noſtri
Ioan.3. Ieſu Chriſti, ac Spiritus ſancti nomine aqua abluuntur & expiãtur. Chriſtus enim ait, Niſi renati fueritis, in regnũ cælorum minimè vobis aditus patebit. perſpicuũ eſt autem omnibus, fieri non poſſe vt ij qui ſemel nati ſunt, in C
matrum vterum ingrediantur. Ab Eſaia etiã propheta, iam vt ſcripſimus, dictum eſt, qua ratione peccata declinaturi ſint ij quos peccatorũ pœnitet. Scri-
Eſa.1. ptum eſt autem his verbis, Lauamini, mundi eſtote, auferte mala ex cordibus veſtris: diſcite quod bonum eſt agere, iudicate pupillo, viduam defendite, & venite, arguite me, inquit Dominus: ac ſi fuerint peccata veſtra vt purpura, tanquàm lanam, & ſi ſint quaſi coccinum, tanquàm niuem ea dealbabo. quòd ſi me non audietis, gladius vos conſumet, os enim Domini hæc locutum eſt. Verbũ autem hoc in hac re ab Apoſtolis didicimus, quòd primũ ortum noſtrum ignorãtes, neceſſitate generati ſumus ex humido ſemine parẽtum noſtrorũ inter ſe copulatione, & in mala cõſuetudine cõuerſationéque educati fuimus: vt nõ neceſsitatis ignorationíſq; filij maneamus, D
ſed volũtatis & ſcientiæ, remiſsionémque eorũ quæ peccauimus conſequamur: in aqua, in eo qui renaſci voluerit & quẽ peccatorũ pœnituerit, parẽtis omniũ dominíq; Dei nomẽ appellatur. Hoc ipſum tãtũmodo dicẽtes, ad lauacrũ illũ ducimus. Nomẽ enim Deo, qui dici nõ poteſt, nemo poteſt imponere. Quòd ſi quis poſſe contendat, is amentia ſumma ſe cõtaminat. Vocatur porrò lauacrũ hoc illuſtratio, quòd eorũ qui hæc diſcũt, mens illuſtretur. Ieſu etiã Chriſti qui Põtio Pilato Prætore in crucẽ ſublatus eſt, & Spiritus ſancti, qui ea quę ad Chriſtũ pertinẽt omnia per prophetas prędixit, nomine is qui illuminatur, expiari ſolet. Hoc quidẽ lauacrũ dęmones cùm à propheta E
prędictũ cognouiſſent, perfecerunt etiã vt ſe aſpergerent ij qui in tẽpla ipſorũ intrarent, & ad eos acceſſuti eſſent, libamẽta & ſacrificia peragentes. Tandẽ verò dant operã, vt abluantur & expientur abeũtes, antè quàm intrent in tẽpla, vbi ſedẽt. Nam eorũ qui templa petunt, calceorũ detractionem, atq; eorũ qui cęremoniis addicti ſunt, eorũ iuſſu qui ſacerdotio funguntur, cùm ex iis

quæ

A quæ Moſi prophetę quē diximus,euenerūt hauſiſſent dęmones,imitati ſunt. Cùm enim Moſes iuſſus eſt in Ægyptū proficiſci,& populū Iſraëliticum qui illic erat,educere,tum cū oues auunculi ſui in Arabia paſceret: ſpecie ignis *Exo.3.* ex dumo cū eo Chriſtus noſter locutus eſt his verbis, Detrahe calceos tuos & accede vt audias:Ille autē detractis calceis cū acceſsiſſet, audiuit ſibi imperantē,vt in Ægyptū deſcendens,populum Iſraëliticū qui ibi erat educeret: acceptáq; à Chriſto qui ſpecie ignis cū ipſo locutus erat, poteſtate deſcēdit in Ægyptum populúmq; eduxit,magnis miriſque operibus editis,quę ſi vul tis diſcere,ex illius ſcriptis probè cognoſcetis.Iudęi autē omnes etiam nunc docent,Deū qui nominari non poteſt,verba cū Moſe feciſſe.Hinc prophe-
B ticus Spiritus per Eſaiam prophetā,quem dixi,eos,quemadmodū ſuprà ſcripſi,accuſat his verbis,Nouit bos poſſeſſorem ac dominum,& aſinus pręſepe *Eſa.1.* domini ſui:Iſraël autem me nō cognouit , populúſque meus me ignorauit. Ieſus quoque Iudęos quòd nō cognouiſſent quid ſit Pater,quid Filius,eodē modo reprehendit his verbis,Nemo Patrem nouit,niſi Filius,nec Filiū,niſi *Matth.11.* Pater,& ii quibus Filius patefecerit.Verbum autem Dei eſt eius,iam vt dixi, filius,angelúſque etiā & apoſtolus dicitur.Ipſe enim enunciat quæ cognoſcenda ſunt,&mittitur explanatū omnia quę nunciat,quemadmodū etiam ipſe Dominus noſter dixit , Qui me audit,eum qui me miſit,audit . Quod
C etiam ex Moſis ſcriptis planum fiet. Dictum eſt autem ei hoc modo , Et locutus eſt cum Moſe Dei angelus in flamma ignis ex dumo, & dixit, Ego *Exo.3.* ſum is qui eſt,Deus Abrahami,Deus Iſaaci,Deus Iacobi,Deus patrū veſtrorū. Deſcende in Aegyptum,&educ populū meum.Ea autem quę illa ſequūtur, ſi vultis,poteſtis cognoſcere.Neq; enim fieri poteſt,vt in his omnia perſcribamus,ſed hæc verba prolata ſunt ad perſuadendū,Dei filium &apoſtolum Ieſum Chriſtum eſſe,qui priùs Verbū erat,& ſpecie ignis apparuit:aliquando ſpecie rerum corpore vacantium,nunc autem Dei voluntate pro genere hominum homo factus , ſuſtinuit etiam ea omnia , quæ eum perferre dæmonum impulſu & opera conſtituerunt amentes inſaníque Iudæi: qui cùm
D in Moſis libris apertè ſcriptum habeant , Et locutus eſt angelus Dei cum Moſe in flamma ignis ex dumo,& dixit,Ego ſum qui eſt Deus Abrahami, Deus Iſaaci,& Deus Iacobi : tamen rerum omnium parentem effectorémque hæc dixiſſe volunt.Itaque propheticus Spiritus eos reprehendit his ver bis,Iſraël autem me non cognouit,& populus me ignorauit.Et rurſum Ieſus,iam vt dixi,cùm apud eos eſſet,Nemo,inquit,nouit Patrē,niſi Filius,nec Filiū niſi Pater, atq; ij quibus patefecerit Filius. Iudæi ergo qui ſemper omniū parentē cū Moſe verba feciſſe putauerūt,cùm eū is qui Dei Filius eſt cōuenerit,qui idem & angelus & apoſtolus vocatus eſt,& à prophetico Spiritu & ab ipſo Chriſto iure reprehenduntur,quòd nec Patrem,nec Filium co
E gnouerint. Qui enim Filium Patrē eſſe cenſent,nec Patrem ſcire coarguuntur,nec Patri omnium Filiū eſſe cognoſcere:qui cùm etiam Verbū primigenium Dei ſit,Deus quoq; eſt & anteà ignis figura & ſpecie,ſimulachróq; rei quę corpore vacat,Moſi cæteríſq; prophetis ſe patefecit:nūc autē imperij ve ſtri tēporibus,iam vt dixi,per virginē homo effectus Patris conſilio pro eorū qui ipſi credunt,ſalute,cōtemni perpetiq; mortē voluit,vt mortuus & exci-

tatus ab inferis mortem vinceret. Quod autē Moſi ex dumo dictum eſt, Ego A
ſum qui eſt Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, & Deus patrum tuorū,
hoc ſignificat, illos & mortuos manere, & eſſe ipſius Chriſti homines. Etenim primi illi homines in quærendo Deo occupati fuerūt. Abrahamus quidem Iſaaci pater, Iſaacus autē Iacobi, quemadmodū etiam Moſes ſcriptum reliquit. Illud etiam, quòd ſtatua Proſerpinæ in aquarum fontibus excitatur dæmonū opera, qui eam Iouis filiam eſſe dicunt, eius quod Moſes prodidit, imitatione ab ijs factū eſſe, ex ijs quæ antè dicta ſunt, intelligere poteſtis. Moſes enim, iam vt dixi, ſcripſit his verbis, In principio fecit Deus cælum & terram, terra autē non cernebatur, erátq; incompoſita, & ſpiritus Domini ſuper aquas ferebatur. Eius ergo quod dictū eſt, Spiritus Dei ferebarur, imitatione ac ſimilitudine, Proſerpinā Iouis filiam eſſe dixerunt. Eadémq; improbitate & ſcelere Mineruam Iouis filiam eſſe affeuerarunt, non cōcubitu & copulatione, ſed quoniam mundū mente & ratione intellectum, à Deo per verbum conditū eſſe cognorunt, quaſi primam mentis notitiam Mineruam eſſe tradiderunt: quod quidem maximè ridiculū eſſe ducimus, perceptionis animi ſimulachrum fœminarum formā ſpeciémq; afferre. Itémque alios Iouis liberos qui dicuntur, actiones coarguūt. Nos autem poſteà quàm ita abluimus, expiauimúſque eum qui credidit & aſſenſus eſt, eū ad eos qui fratres dicuntur, ducimus eū in locū quò cōuenerunt cōprecandi cauſa contētis animis & pro ſe, & pro eo qui illuſtrátus eſt, omnibúſq; aliis qui vbiq; ſunt, vt & veritatis diſcipuli, & re ipſa bonæ ſanctǽque vitæ cultores, & præceptorum cuſtodes poſſimus inueniri, vt æternam ſalutem adipiſcamur. ſub finem precū nos inter nos oſculo ſalutamus: deinde ei qui prępoſitus eſt fratribus, panis offertur, & poculum aqua & vino temperatum, quæ cùm accepit, laudem & gloriam omnium Parenti, Filij Spiritúſq; ſancti nomine tribuit, gratiáſque diu agit, quòd ab eo his dignus ſit habitus: quibus ritè perfectis, precibus & gratiarum actioni, populus omnis qui adeſt, benedicit dicēs: Amen. Amen autem Hebraico ſermone idem quod fiat, ſignificat. Poſteà quàm & is qui præeſt, gratias egit, & populus omnis benedixit, ij qui apud nos diaconi dicuntur, dant vnicuique eorū qui adſunt, percipiendum panē, vinum & aquam quę cum gratiarum actione cōſecrata ſunt, & ad eos qui abſunt, perferunt. Atq; cibus hic apud nos Euchariſtia nominatur, qua nemini alij participare licet, niſi ei qui & vera eſſe credit quæ nos dicimus, & expiatus eſt la uacro quod in remiſſionē peccatorū regenerationémque datur, & ita viuit, vt Chriſtus tradidit. Neque enim hæc cōmunem vſitatúmque panem, vſitatámque potionē capimus, ſed quemadmodum per Dei Verbū homo factus Ieſus Chriſtus conſeruator noſter, & carnem & ſanguinē pro ſalute noſtra habuit: ſic etiam cibum qui per preces ſermonis, quē ab eo accepimus, cōſecratus eſt, & quo ſanguis carnéſque noſtræ cōmunione aluntur, Ieſu Chriſti eius qui homo factus eſt, & carnem & ſanguinē eſſe accepimus. Apoſtoli enim in cōmentariis ſuis, quę Euangelia dicuntur, ita ſibi Chriſtum præcepiſſe tradiderunt, eum accepto pane cùm gratias egiſſet, dixiſſe, Hoc facite in memoriā mei, hoc eſt corpus meū: dixiſſe etiam accepto poculo cùm egiſſet gratias, Hic eſt ſanguis meus, ſibíq; ſolis dediſſe. quod etiam imitati mali

A li genij in Solis ſacris faciendum tradiderunt. Panem enim & potũ aquæ po-
ni in initiatione eius qui initiatur cũ certis quibuſdã verbis, aut ſcitis, aut co-
gnoſcere poteſtis. Nos autẽ poſteà deinceps hęc inter nos ſemper recolimus
& admonemus, & qui opes habemus, egentibus omnibus ſubuenimus, & vnà
ſemper ſumus. In omnibus quibus vtimur, Parentem omnium per filiũ ſuum
Ieſum Chriſtũ, Spiritúmq; ſanctũ laudamus. Die qui Solis dicitur, omnes qui
in oppidis vel agris morãtur, vnũ in locũ cõueniunt, cõmentariáq; apoſtolorũ
vel prophetarum ſcripta leguntur quandiu hora patitur: deinde vbi is qui le-
git, deſtitit, is qui præeſt admonet, & hortatur, vt ea quæ lecta ſunt, bona imi-
B temur: tum ſurgimus omnes, ac cõprecamur, concluſiſq; noſtris precibus, pa
nis, iam vt dixi, vinũq; & aqua offeruntur, túmq; is qui primũ locũ tenet: eodẽ
modo preces gratiarúmq; actionẽ pro virili mittit, populúſq; benedicit, di-
cens, Amen, & iis quę cum gratiarũ actione cõſecrata ſunt vnuſquiſq; parti-
cipat, eadémq; ad eos qui abſunt, diaconis dantur perferenda. Quibus copiæ
ſuppetũt, ij ſi volunt, ſuo quiſq; arbitratu quod vult largitur: quódq; colligitur
& cogitur, apud eum qui præeſt reponitur, iſq; pupillis, & viduis, iíſque quos
morbus aliáve cauſa inopes fecit, & ijs qui in vinculis ſunt, & hoſpitibus, om-
ninóq; omnibus qui aliqua indigentia premuntur, ſubuenit. Die autẽ Solis o-
mnes publicè conuenimus, quòd is primus eſt dies, in quo Deus tenebras &
C materiã cùm mutaſſet, mundũ effecit: & quòd eodem die Ieſus Chriſtus con-
ſeruator noſter à mortuis excitatus eſt. Pridie enim Saturni eum in crucẽ ſuſ-
tulerunt, & poſtridie Saturni qui Solis dies eſt, cùm apoſtolis diſcipuliſque
ſuis apparuiſſet, hęc illis tradidit, quę vobis quoq; conſyderanda permittimus:
ac ſi vobis rationi veritatiq; conſentanea videntur, ea cõprobate: ſin nugę vo-
bis videntur, vt verba nugarũ plena contemnite, non in eos qui nullam iniu-
riam inferunt, nec ſcelus admittũt, vt in hoſtes mortem ſtatuite. Prædicimus
enim, vos Dei iudicium non eſſe declinaturos, ſi in ſcelere perſtetis: nóſq; cla
mabimus hoc vnum, Quod Deo viſum erit, id eueniat. Et quanquam nos ex
maximi clariſsimíque Cæſaris Adriani parentis veſtri epiſtola, poſſumus pe-
tere à vobis, vt quemadmodũ petiuimus, iudicia fieri iubeatis: nõ tamen quòd
D hoc ipſum ab Adriano iudicatũ eſt, magis petimus, ſed quòd nos æqua iuſtáq;
petere ſciamus, legationis munus obiuimus, rémque narrauimus. Subiecimus
autem epiſtolæ Adriani exemplum, vt ex eo quoque nos verum pronuncia-
re intelligatis. Eſt hoc exemplum epiſtolæ.

ADRIANI IMPERATORIS PRO CHRI-
ſtianis epiſtola ad Minutium Fundanum.

E ACCEPI epiſtolam, quam ad me ſcripſit Serennius Granianus vir clariſsi-
mus, cuius in locũ ſucceſsiſti. Mihi quidẽ non placet rem ſine quęſtione præ-
termitti, ne & hominũ motus oriatur, & calũniatoribus maleficij detur facul-
tas. Itaq; ſi prouinciales planè hoc poſtulato poſsint in Chriſtianos niti, vt etiã
pro tribunali reſpondeãt, ad hoc vnũ ſe, non ad poſtulata, neque ad ſolos cla-
mores, conferant. Multò enim magis deceat, ſi quis accuſare velit, de hoc te
pro poteſtate iudicare. Si quis ergo accuſet, doceátque eos aliquid cõtra le-
ges facere, ita demũ pro vi & grauitate maleficij ſtatue. Quòd ſi quis hoc ca
lumniandi ſtudio obiiciat, fac de grauitate cognoſcas, curáq; vt ſcelus vlciſcare.

ANTONINI AD COMMVNE ASIÆ EPISTOLA.

A

Epiſtolæ duæ quæ ſequuntur, non ſunt à Iuſtino ſubiectæ, quandoquidem Adriani epiſtolam ſo ſubiecisſe dicit, & hæ duæ ab his ſcriptæ ſunt apud quos habuit orationem.

IMPERATOR Cæſar Titus Aelius, Adrianus, Antoninus Pius Pōtifex maximus, tribunitiæ poteſtatis XIIII. III. conſul, Aſianis Salutem. Ego quidem exiſtimo, Diis curæ fore, ne huiuſmodi homines lateant. Multò enim grauius animaduertent, ſi poſſint in eos qui ſe venerari & colere nolint quibus vos vim infertis, eorúmque vt Atheorū ſentētiā in qua ſunt accuſatis, nōnullaq; alia obiicitis, quæ probare non poſſumus. Satius autem illis ſit ob crimen obiectū de vobis triumphum agentes, contempta vita morte mulctari, quàm parentes & aſſentiētes iis quæ petitis, ea perficere. Quod autē attinet ad terræmotus qui facti ſunt aut fiunt, par non eſt vobis, quando quidē ſunt, abiectu animus cōmemorare, ſi veſtras cū illorum rebus comparetis, quòd maiore ſint in Deū quàm vos fiducia. ac vos quidē illis tēporibus Deos ignorare videmini, tēpláque negligitis: religionem autē Dei ignoratis, hinc etiam religionum cultoribus inuidiſtis, nec inuidia veſtra exagitaudis illis, niſi morte & ſanguine ſatiatur. De his talibus nonnulli etiam alii prouinciarum præfecti diuo patri meo ſcripſerunt, quibus reſcripſit, ne quid eis moleſtiæ faceſſerent, niſi eos aliquid in Romanum imperiū B *moliri conſtaret. Mihi quoque de his multi ſcripſerunt, quibus patris mei ſententiā ſequens, reſcripſi. Quòd ſi quis habeat rem contra horum aliquem hoc ipſo ſolùm quòd Chriſtianus ſit, deferre, ille cuius nomē defertur abſoluatur, etiam ſi talis eſſe conuincatur: qui autem illius nomen defert, pœnas luat.*

MARCI IMPERATORIS EPISTOLA
ad Senatum, in qua Chriſtianos victoriæ eorúm cauſam fuiſſe profitetur.

Corruptus hic locus eſt in Græco, & quædam deſunt.

πρίμας δὲ κατὰ τῆς. γέμινα Φερεντάρια.

IMPERATOR Cæſar Marcus Aurelius Antoninus, Germanicus, Parthicus, Sarmaticus, Senatui populóque Romano Salutem. Certiores vos feci de conſilij propoſitique mei magnitudine, C *quæ in Germania mihi in diſcrimine alia ex aliis inciderūt. Cùm in finibus labore confectus eſſem in oleaſtro à milibus nouem dracones quatuor & ſeptuaginta me oppreſſerunt. Cúmque haud procul à nobis abeſſent, nobis ſpeculatores indicarunt, & Pompeianus quem bello ducem præfecimus, nobis expoſuit quæ vidimus. Oppreſſus ſum autem à magnitudine multitudinis nō confuſæ, exercituúmque legionis vndecimæ gemini ferentarij, omníſque multitudo quæ adfuit, vniuerſæ turbæ confuſa fuit millium XC, LXXVII. Itaque cùm & meipſum & exercitum meum cum barbarorū hoſtiúmq; multitudine cōparaſſem, Deos patrios rogaui, ſed cùm ab eis negligerer, copiarúmq; mearum paucitatem contemplatus eſſem, eos qui apud nos Chriſtiani dicuntur accerſiui ac rogaui, inueníque magnam eorum multitudinem illóſque minis compuli, id quod minimè decuit, propterea quòd poſteriùs eorum vim agnoui. Hinc aggreſſi ſunt non telorum præparationem, non armorum, neque tubarum, propterea quòd illud eos offendit Dei cauſa & nomine, quem in conſcientia geſtant. Veriſimile eſt igitur eos quos Atheos eſſe exiſtimamus, Deum ſponte in conſcientia & animo conclu-* D *ſum habere. Cùm enim ſe humi abiecisſent, non ſolùm precati ſunt vt pro me, ſed etiam pro hoc exercitu patroni eſſent ſitis atque famis qua vrgebamur. Quinque enim diebus aquam non ſumpſimus, quòd non ſuppeteret. Eramus enim in Germaniæ vmbilico, eorúmque finibus. Simul autem atque ſe humi abiecerunt, Deúmque precati ſunt, quem ego ignorabam, ſtatim è cælo pluuia delapſa eſt in nos quidem frigidiſſima, in Romanorum verò hoſtes, grando ignis ſpecie & ſimilitudine. Atque etiā veriſimile eſt inter preces Deum ſtatim præſtò fuiſſe, vt inuictū & indiſſolubilem. Quamobrem illinc exorſi cōcedamus talibus, vt ſint Chriſtiani, ne quæ arma eius generis contra nos petāt & impetrent. Hoc autem cenſeo, quòd Chriſtianus aliquis ſit non eſſe in crimen & in iudicium vocandū. Quòd ſi quis inuentus ſit crimini dare cuipiam, quòd Chriſtianus ſit: eum Chriſtianum qui adducatur, manifeſtū fieri volo cùm hoc cōfeſſus ſit, dūtaxat qui hoc vno in crimē vocetur, quòd Chriſtianus eſt: eum autem qui hunc in ius vocat, viuum exuri. Eum verò qui Chriſtianum ſe profeſſus ſit,* E *& ſimul periculo omni quod ob eam rem ei creabatur, liberatus: ſi ei prouincia credita fuerat, ad pœnitentiam traduci non placet, nec libertatem amittere. Hæc autem Senatuſconſulto etiam ſanciri volo, atque hoc meum edictum in foro Traiani proponi, vt legi poſſit. Curæ erit Beraſio Polsioni præfecto, vt illud ad omnes prouincias mittatur, nec quiſquam qui vti & habere volet, ex eis quæ à nobis propoſita ſunt, prohibeatur deſcribere.*

Finis. τῷ Θεῷ δόξα.

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI IN PRIMAM ORATIONEM IVSTINI PRO CHRISTIAnis, obſeruationes.

QVATVOR ſiue libros, ſiue orationes Iuſtinus ſcripſit pro Chriſtianis, quarum ſecundam ipſe pronunciauit, quemadmodum προσφώνησις verbum quo in eius principio vſus eſt, indicat. Vtrum autem reliquas nec ne pronunciauerit ignoro. Nos quædam noſtro inſtituto in eius libris quos conuertimus, notabimus, cùm res poſtulabit. Ac primùm in prima oratione earum, quas pro Chriſtianis ſcripſit, in qua multa corrupta ſunt & deſyderantur. καὶ τὰ χθὲς δὲ, καὶ πρώην ἐν τῇ πόλει ἡμῶν γενόμενα ἐπὶ οὐρβικίου, &c. id eſt. Quæ autem heri & paulò antè in vrbe noſtra geſta ſunt Vrbicio præfecto.) Si quemadmodum eſt δὲ coniunctio in eo codice qui editus eſt, principio huius circumſcriptionis, ſic etiam eſt in exemplari, quod regia bibliotheca ſuppeditauit, non eſt dubium, quin aliqua deſyderentur, præſertim cùm hæc ſit prima oratio earum quatuor, Euſebij ſententia, quas Iuſtinus habuit pro Chriſtianis. Quod quidem ita eſſe quodam modo καὶ coniunctio quæ primum eſt totius orationis vocabulum, declarat. ἡμῶν legendum eſt paulò pòſt per η ſcriptum, non per υ ψιλόν. Habetur enim hæc pro Chriſtianis, non pro aliis oratio, quẽadmodum ex inſcriptione intelligi poteſt. οὐρβικίου etiam legẽdum eſſe ſemper quatuor ſyllabis, ex Euſebio intelligimus ἐπὶ in magiſtratibus exprimendis ab indiſertis interpretibus ſub dicitur, quæ prępoſitio à Latinis demitur, & nomina magiſtratuũ in hoc genere dicendi auferendi caſu exprimuntur, quemadmodum alio loco docui.

ὑπὲρ ἡμῶν ὁμοιοπαθῶν ὄντων, id eſt. Pro nobis qui ſimiles ſumus) ὁμοιοπαθὴς, aliàs aliter dici debet. Similis a me hoc loco dicitur, quod mihi ſatis videtur. Si purum dictum videatur, dici poteſt, is qui iiſdem quibus alius, calamitatibus miſeriiſque opportunus eſt; ſiue obnoxius.

ὑπὸ τῶν ἡγουμένων, id eſt, à præfectis) ἡγούμενοι dicuntur ij qui præſunt. Sed quoniam multà ſunt genera eorum qui aliis præſunt, & hìc Iuſtinus de iis loquitur, qui pro Romanis in prouinciis pręerant, quorum alij proconſules, alij quæſtores, alij prætores erant, quos omnes hoc vno nomine complectitur, non potui eos omnes ſignificare niſi vnius pręfecti nomine, præſertim cùm Cicero præfecturas vocet eos magiſtratus, qui in prouinciis, oppidiſque Romanorum gerebantur.

πανταχοῦ γὰρ ὅς ἂν σωφρονίζηται ὑπὸ πατρὸς, id eſt. Vbique enim quiſquis à patre, &c.) Circumſcriptio hęc perfecta non eſt, quod quidem eam reddit obſcuram. Si enim perfecta eſſet, intelligeremus quonam modo ὅς ἂν accipiendum ſit, vtrum pro omnis qui, ſiue quiſquis, an ὅσιν, intelligere debeamus, vt ſi ſcriptum eſſet, πανταχοῦ γὰρ ὅσιν, ὅς ἂν &c. Erit etiam qui dicat ὅς pro aliquis, & ἂν pro ſi poſſe accipi, ſed hæc omnia diuinare potius, quàm confirmare poſſumus. κατ᾽ ἔλλειψιν ſic interpretor, vt dicam, ſi pater, aut frater aliíque quos Iuſtinus enumerat, non fungantur officio ſuo, vel deſint, tum mulierem eorum loco illum qui erret aut peccet, in viam poſſe reducere. συγγενήσεσθαι in futuro legendum eſſe, non συγγενέσθαι in aoriſto cùm ſententia ipſa declarat, tum futurum hoc κολασθήσεσθαι. Non video qui poſsit rectè legi διὰ τὸ δυσμετάθετον, &c. vnius numero, præſertim cùm verba hæc numero multitudinis, τὰς δ᾽ εἰσφέρετ antecesserint. Itaque δυσμεταθέτους, &c. numero multitudinis legendum arbitror. Si alia exemplaria inueniantur, ad ea facilè hæc omnia corrigi licebit.

γυνή τις συνεβίου. Mulier quædam, &c.) Corruptus eſt hic totus ferè locus, multáque deſunt in Græco, quæ ego ex Euſebij Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro quarto expleui & addidi.

ὁ γὰρ ἀρνούμενος ὅτι οὐκ εἴη, ἢ καταγνωσκὼς τοῦ πράγματος ἔξαρνος γίνεται, &c.) Locus hic eſt ſubobſcurus. Dubium eſt enim, quò illud, ὅτι οὐκ εἴη, pertineat, id eſt, num de homine

an de re intelligatur. De homine interpretans intelligo. Sic enim interpretatus ſum. Qui enim ſe eſſe negat, ſi Chriſtianum. Hanc autem veram eſſe ſententiam, hinc conſtat, quòd ſuperiore oratione, cuius eſt hæc ratio, iterum interrogatum eſſe Ptolemæũ Iuſtinus dicit, num eſſet Chriſtianus: eundémque ſe eſſe reſpondiſſe, quòd ex Chriſti diſciplina virtutis ſibi ſe eſſe conſcium ſciret. κατεγνωκὼς qui damnauit & improbauit. καὶ τὸν Οὐρβικίου κολάζοντος, καὶ τὰ ἑξῆς μέχρις τούτου, τίς ἡ αἰτία τοῦ μή τι μοιχὸν, &c.) Locus hic in verbo vno corruptus eſt. Hoc enim totum, τίς ἡ αἰτία τοῦ, verbum infinitum exigit, quale nullum habet, ſed ἐκόλασω, quæ ſecunda perſona eſt prioris indefiniti medij verbi, ἐκολασάμην, ἐκόλασω, ἐκολάσατο, κολασθῆναι legendum arbitror.

εἰ οὖν πάντες ἑαυτοὺς φονεύσομεν, τοῦ καὶ γεννηθῆναί τινα, καὶ μαθητευθῆναι εἰς τὰ θεῖα διδάγματα, ἢ καὶ μὴ εἶναι τὸ ἀνθρώπειον γένος, ὅσον ἐφ' ἡμῖν, αἴτιοι ἐσόμεθα.) Hoc in loco μὴ vel οὐ deſideratur. Neque enim verè ſenſus cohærebit, ſi dicamus, cauſa erimus, cur & aliquis naſcatur, & diuinis præceptis inſtituatur: contráque vera erit, ſi dicamus, cauſa erimus quantum in nobis eſt, cur non aliquis naſcatur, & diuinis præceptis erudiatur, aut etiam non ſit hominum genus. Illud enim, ὅσον ἐφ' ἡμῖν, id eſt, quantum in nobis eſt, ad tria illa pertinet. Itaque cum hoc toto, αἴτιοι ἐσόμεθα coniungitur. Quanquam ad tertium tantùm pertinere videri poteſt. Nam quòd planè is qui ſibi mortem conſciſcit, cauſa eſt, cur aliqnis non naſcatur, ſi modò vxorem duxerit, cuiuſmodi multi Chriſtiani tum etiam erant, modò eò pertinere voluiſſe videri poteſt, illud ὅσον ἐφ' ἡμῖν, ſed tantùm ad tertium, quòd ſi Chriſtiani omnes ſemetipſos interficerent, quantum in ipſis eſt, cauſæ eſſent, generis hominum interitus. De ſtatu autem omníque ratione huius orationis, hoc verè poſſum dicere, quòd principio ferè careat, in quo extremo potiſſimùm quid dicendum ſit, & de quibus, & quo ordine exponere omnes ſolent, me non poſſe docere quid ſibi primùm proponat ad defendẽdum, quò cætera referri velit. Defendit quidem Chriſtianos, ſed quia accuſatio defenſioni debet antecedere, niſi quod crimen Chriſtianis obiiceretur, aut quæ crimina intelligãtur, quid defendat, aut quem ſeruet ordinem, ſciri non poteſt. Se coactum iis iniuriis, quæ contra æquitatem & Vrbicio præfecto in ea vrbe in qua eſſet, & vbique à cæteris præfectis Chriſtianis inferrentur, hæc verba facere dicit. Quæ ſi prima eſt oratio, de quo à nobis dictum eſt, quædam eſt eorum quę dicturus eſt, propoſitio. Cùm id eo ordine quo geſtum eſt, exponit, ab eo loco narrationem vult incipere: in qua continetur id quo ſe coactum verba hæc facere dixerat, id eſt, ſupplicinm ſumptum de tribus, ob eam vnam rem, quòd ſe Chriſtianos rogati reſpondiſſent. In eo non longam ponit orationem, primúſque illorum trium prudenti reſponſo, qui ſe tortori gratias agere dixiſſet, quòd ſciret ſe ab improbis talibus dominis liberatum ad cæli parentem regémque proficiſci, occupat id quod ſiue iudices, ſiue aduerſarios dicturos obiecturóſque cerneret. Obiecturi enim fuerant, Si vos, ô Chriſtiani, cùm interficimini, ad Deum, vt iactatis, proficiſcimini, voſmetipſos occidite, & ad eum proficiſcímini, neque nobis negotium faceſsite, quòd vos occidentes vobis iniuriam facimus. Hæc eſt Iuſtini ex illo dicto occupatio. Occupationi occurrit, quòd ſi Chriſtiani ſemetipſos interimerent, cauſa eſſent, cur aliquis non generaretur, & præceptis diuinis imbueretur, aut etiam genus hominum non eſſet: quæ ſi facerent, Dei conſilio qui & mundum bonorum cauſa condidit, iis delectatur, qui ea imitatur quæ in eo inſunt, ipſi quoque repugnarent, quod quidem argumentum à conſequentibus ſumptum eſt. Pollicirus erat occupando id quod dixi, primùm cur Chriſtiani ſemetipſos non interficerent, deinde cur in quæſtionibus ſine metu Chriſtianos ſe eſſe profiterentur, ſe eſſe demonſtraturũ priore, vt dixi, confecto, de libera confeſsione dicit. Tres cauſas rationéſque affert tam liberæ profeſsionis, & quòd ſibi nullius ſceleris cõſcij ſint Chriſtiani, & quòd impium exiſtiment, nõ in omnibus verè dicere, quod Deo gratum eſſe ſciant: & quòd ſtudeãt eos ab iniqua opinione quæ illos occupauerit, liberare. Notandæ ſunt diligẽter hæ tres cauſæ, quæ noſtræ religionis diſciplinæque homines vt liberè ac ſine metu magnáque fiducia in quęſtionibus ſe eſſe Chriſtianos dicerent, impulerunt. Prima ratio ducitur ab eo quales eſſe debent ij qui ſe Chriſtianos eſſe rectè profiteri velint, id eſt, vt abſint nõ ſolùm ab omni culpa, ſed etiam ab omni ſceleris conſcientia. Altera ſumitur ab hominũ in Deum

charitate & religione. Deus vt verus eſt, atque adeò verum ipſum, ſic ſuos verum vult dicere. Ita fit, vt impium ſit, non in omnibus verè dicere. Tertia eadémque poſtrema, ab hominum in proximos charitate ſumitur. Si proximos noſtros, vt noſmetipſos diligimus, & veritas Deo grata eſt, error ingratus, nóſque natura veritatem amare cogimur, & errorem odiſſe, veritatem etiam in proximis amare, & errorem odiſſe debemus. Ita quàm primùm ab errore eos liberare. Hoc etiam in tertia hac ratione continetur. Cùm Gentes tanta fiducia depoſito omnium quæ hîc grauia ducuntur, metu, noſtros Chriſtum profiteri viderent, illa tanta fiducia impelli debuerunt, vt iniquam quā de Chriſtianis habebant opinionem, deponerēt. Itaque hac ipſa impulſum ſe Iuſtinus paulò pòſt, eam depoſuiſſe paulò pòſt fatetur. Atque hoc primum eſt caput totius defenſionis, cum quo occupatio quam expoſui, de nece, & altera de fiducia Chriſtianorum in confeſsione, cohærent. Sequitur etiam tertia occupatio.

εἰ δέ τινα ὑπέλθοι καὶ ἡ ἔννοια αὕτη, ὅτι εἰ θεὸν ὡμολογοῦμεν βοηθὸν, &c. id eſt. Quòd ſi quem fortè hæc etiam ſubit cogitatio, nos ſi Deum adiutorem profiteremur, &c.) Eſt hęc tertia occupatio, eáque nata eſt ex ſuperioribus. Quoniam enim Chriſtiani qui Deum verum ſe ſolos colere profitebantur, tamen à malis & improbis hominibus Iuſtini etiam confeſsione, ſumma ſe iniquitate oppreſsos morte mulctari dicebant: Romani ſtatim hoc cogitare poterant, Si adiutor Deus eſſet quem illi colerent, cum nunquam paſſurum fuiſſe, aut commiſſurum, vt ſuos, quos præſertim ab iniquis iudicibus oppreſſos in crimi cerneret, omni præſidio auxilióque & ope deſtitutos contemneret. Huius ergo cauſam occupando exponit, quāquam ab eo illius ducit exordium, quod falſum eſſe ſcimus, & tamen verum veteres, vt iam dicam, eſſe putauerunt.

οἱ δ' ἄγγελοι παραβάντες τήνδε τὴν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες, &c. id eſt. Angeli autem, qui hunc ordinem deſeruiſſent, cum mulieribus concubuerunt, liberóſque procrearunt, iíque ſunt qui vulgò dæmones nominantur) Dicam primùm de verbis, deinde de rebus verborúmque ſententia. ἄγγελος cùm ad cæleſtes naturas transfertur, angelus maiorum noſtrorum inſtituto exemplóque à nobis dicitur, dicetúrque ſemper, quod etiam de cæteris ordinum earundem naturarum nominibus, iudicandum eſt. veluti Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Cherubim, Seraphim. δαίμονα autem, interdum cum noſtris dæmon, & δαιμόνιον, dæmonium, appello: interdum malum genium δαίμονα dico, quòd verbum hoc tantum in malis & improbis angelis dicatur à noſtris. Nam à veteribus Romanis δαίμονα genium dictum eſſe, teſtis eſt Tertullianus. Eius verba ex Apologetici aduerſus Gentes cap. 32. proferam. Sed & iuramus, ſicut non per Genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis. Neſcitis Genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce dæmonia? Cicero in libro de vniuerſitate, vt aliis in locis docui, δαίμονας à Latinis, Lares dictos eſſe exiſtimat, quæ tamen interpretatio non tam illi probatur, quin addat, Si modò hoc rectè conuerſum videri poteſt. Dæmon ergo, & dæmonium ſine vlla religione teneamus. De ſententia huius loci dicamus. Mihi quidem videtur Iuſtinus, cùm ait, οἱ δ' ἄγγελοι παραβάντες τήνδε τὴν τάξιν, & quæ antecedunt de angelorum principatu, habuiſſe rationem horum verborū. b. Iudæ, ἀγγέλους τε τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, &c. Quod autem ait de Angelorum cum mulieribus concubitu, procreationéque liberorum, qui dæmones dicātur: id & ipſe & alij veteres ex ſexto Geneſis capite ſumptum, ita interpretantur. Verba proferam primùm, deinde veterū interpretationē. Verba Moſis hæc ſunt, ἰδόντες δὲ οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων ὅτι καλαί εἰσιν, ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας, ἀπὸ πασῶν ὧν ἐξελέξαντο, id eſt. Cùm autem vidiſſent filij Dei filias hominum, quòd pulchræ eſſent, acceperunt ſibi mulieres ab omnibus, quas elegerant. Paulò infrà, οἱ δὲ γίγαντες ἦσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ μετ' ἐκεῖνο ὡς ἂν εἰσεπορεύοντο οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐγεννῶσαν αὐτοῖς, ἐκεῖνοι ἦσαν οἱ γίγαντες οἱ ἀπ' αἰῶνος, οἱ ἄνθρωποι οἱ ὀνομαστοί. id eſt. Gigantes autem erant ſuper terrā in diebus illis, & poſtquam ingreſsi ſunt filij Dei ad filias hominum, & genuerūt eis, illi erant gigantes à ſeculo, viri famoſi. Atque hæc quidem verba ſunt Moſis, ex quibus Iuſtinus ſumpſit eam quam cōſyderamus, de angelis ac dæmonibus

opinionē. Filios enim Dei angelos intelligit,& gigātes eos qui dæmones nominātur. Filios Dei eodem modo Ioſephus,angelos Dei interpretatur: quem potiſsimùm Iuſtinus ſequutus videtur. Eodémque modo veteres alij diſciplinæ noſtræ homines, in his Tertullianus& Lactantius,accipiunt. Tertullianus quidem in libro de Virginibus velandis ſcribit his ferè verbis, Si enim propter Angelos,ſcilicet quos legimus à Deo & cælo excidiſſe,ob concupiſcentiam fœminarum, quis præſumere poteſt, quales angelos maculata iam corpora, & humanæ libidinis reliquias deſyderaſſe,vt non ad virgines potiùs exarſerint quorum flos etiam humanam libidinem excuſat? Nam & ſcriptura ſic ſuggerit.& factum eſt, inquit, cum cœpiſſent homines plures fieri ſuper terram,& filiæ natæ ſunt eis:conſpicati autem filij Dei filias hominum quòd pulchrę eſſent,acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerunt. Paulò infrà. Nam nuptæ maritorum nuncupantur,cum potuerit dixiſſe vxores hominum ęquè,non adulteros nominans Angelos, ſed maritos, dum innuptas ſumunt filias hominum, quas natas ſuprà dixit. Lactantius multo apertiùs ac pluribus quid de angelorum concubitu, dæmoniúmque ex illorum concubitu ortu ſentiat, lib. 2. cap. 15. exponit. Hæc quidem & Ioſephi,& Iuſtini,& Tertulliani,& Lactantij falſa exploſáque eſt ſententia. Quod quidem ex eo primùm intelligi licet,quòd angeli corporibus carent,ſine quibus extare concubitus & procreatio liberorum non poteſt. Deinde quòd res quam Iuſtinus ponit,itémque Lactantius,vt verum concubitum iſtum probent,nō ſolùm non vera eſt, ſed etiam ridicula. Ponit enim Iuſtinus improbos etiam angelos à Deo præfectos eſſe mundi gubernationi,hominúmque prouiſioni,quem ordinem cùm deſeruiſſent,mulierum concubitu victos, pueros procreaſſe, qui dæmones nominentur. Lactantius autem cùm hominum cœpiſſet numerus creſcere,Deum qui prouideret ne fraudibus ſuis diabolus, cui ab initio terræ dederat poteſtatem, vel corrumperet, vel diſpergeret homines,quos in exordio fecerat,miſiſſe angelos ad tutelam, cultúmque generis humani: iiſdémque præcepiſſe in primis, ne terræ contagione maculati ſubſtantiæ cæleſtis amitterent dignitatem. Illos autem cum hominibus commorantes, à dominatore illo terræ fallaciſsimo, conſuetudine ipſa paulatim pellectos eſſe ad vitia, mulierúmque congreſsibus inquinatos. Tum eos in cælum ob peccata quibus ſe immerſerant, non receptos,in terram cecidiſſe,atque hoc modo à diabolo factos eſſe ſatellites ac miniſtros. Eos autem qui ex illis ſint procreati, quia neque angeli, neque homines fuerunt,ſed mediam quandam naturam habebant, non fuiſſe receptos ad inferos, ſicuti in cælum eorum parentes. Ita duo genera dæmonum facta eſſe,vnum cæleſte,alterum terrenum. Ex his ergo illorum verbis facilè perſpici poteſt, quàm hæc illorum falſa ſit ſententia. Angeli enim improbi omnes ante quàm homo fictus eſſet, iam peccauerāt: ita nunquam eis Deus hominum ſalutem commiſit. Quotieſcunque igitur in has atque ſimiles veterum opiniones, quas à Platone, Triſmegiſto, aliiſque philoſophis arripuerunt,incidemus,magnam cautionē afferre debemus,ne quid in nobis quaſi contagione quadam hæreat. De incubis autem & ſuccubis non eſt quòd hoc loco aliquid dicendum eſſe videatur. Siue enim ſint, ſiue non ſint, quod poſterius mihi probatur, hoc ſemper tenendum eſt, hūc Moſis ex Geneſi locum de angelorum cum mulieribus concubitu non eſſe intelligendum. Quid ergo filiorum Dei,& filiorum hominum,& gigantum intelligendum eſt nomine? Filiorum Dei nomine,vt Hieronymo, Auguſtino aliiſque grauiſsimis authoribus placet,intelligūtur Seth poſteri, qui verum Dei cultum religionémque retinuerunt. Hominum autem filiorum nomine Cain poſteri,qui vero Dei cultu repudiato,falſum approbauerunt. Gigantes verò rectè accipiantur ij qui cæteris corporis magnitudine præſtiterunt. Sunt etiam aliæ aliorum interpretationes,ſed hæc anteponitur cæteris. Notemus ergo quæ hoc loco à Iuſtino defenduntur & improbanda ſunt. Primum eſt, Deum angelis qui improbi & mali ſpiritus vocantur,hominum mundíque dediſſe curam & adminiſtrationem. Alterum, angelos illos hunc ordinem & quaſi præſcriptionem violaſſe. Tertium, angelos improbos cum mulieribus concubuiſſe, & ex eis ſuſcepiſſe liberos, qui dæmones nominentur. Quartum etiam paulò pòſt ſequitur, angelos improbos, & dæmones eorum liberos eguiſſe ſacrificiis poſteà quàm perturbationibus libidinum ſeruierunt.

ἀπὸ συνέγραψαν εἰς αὐτὸν τὸν θεὸν, καὶ τοὺς ὡς ἀπ' αὐτοῦ σπορᾷ γενομένους υἱοὺς, καὶ τῶν λεχθέντων ἐκείνου ἀδελφῶν, καὶ τέκνων ὁμοίως, &c.) αὐτὸν τὸν θεὸν Iouem ſignificat, vt ex eis quæ ſequuntur, intelligi licet. Hoc autem dicendi genus ab Homero ſumpſit, qui in nono Iliadis.

-οὐδ', inquit, εἴ κέν μοι ὑποσταίη θεὸς αὐτὸς
γῆρας ἀποξύσας θήσειν νέον ἡβώοντα, id eſt.
-Nec mihi ſi Deus ipſe,
Delcto ſenio iuuenis promiſerit annos.

Interpretans hunc locum in oratione parænetica, hoc pronomen αὐτὸς, eum qui verè eſt Deum ſignificare dicit. Locus autem hic paulò obſcurior eſt propter hos patrios caſus, καὶ τῶν λεχθέντων ἐκείνου ἀδελφῶν: qui ad dandi caſus nomen σπορᾷ referri debent. Multa collegit nefaria facinora Iuſtinus ipſe in parænetica oratione, quæ Homerus in Iouem alióſque Deos ſcripſit, quæ ad huius loci explicationem pertinent.

εἰ γὰρ ἂν καὶ ὄνομά τι προσαγορεύηται, πρεσβύτερον ἔχει τὸν θέμενον τὸ ὄνομα.) Non eſt dubium, quin τοῦ θεμένου in patrio caſu legendum ſit. Corruptus eſt autem locus υ & ν ſimilitudine. Probat hoc quod paulò antè dixit, non eſſe vllum nomen impoſitum Deo, ídque à repugnantia temporis, & naturæ Dei. Nomen quodcunque Deo imponatur, ex tempore imponetur, eo autem nomen habet antiquius, cùm ipſe ſit ex omni æternitate. Videtur hoc loco ſignificare nomẽ Dei quatuor literis expreſſum, quod Deus in Exodo Moſem alloquens, Abrahæ, Iſaac & Iacob declaraſſe & patefeciſſe ſe negat.

τὸ δὲ πατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ κτίστης, καὶ κύριος, καὶ δεσπότης, οὐκ ὀνόματά ἐστιν, ἀλλ' ἐκ τῶν εὐποιϊῶν καὶ τῶν ἔργων προσρήσεις, id eſt. Hæc verò, Pater, Deus, Conditor, Dominus, non ſunt nomina, ſed ex beneficiis & operibus appellationes.) Reſpondet occupando obiectioni tali. Hæc ſunt nomina, πατὴρ, &c. quæ ſunt Deo impoſita, ſunt igitur Deo impoſita nomina. Negat igitur ea eſſe nomina impoſita Deo, ſed tantùm eſſe dicit ea ex beneficiis eius vel operibus cognomina, ſiue agnomina, & appellationes. Ita hoc loco nomen accipit pro eo quod naturam rei explicat, quod nullum horum facit. πατὴρ enim ab eo dicitur Deus quatenus nos procreauit, & κτίστης vt omnia effecit, θεὸς vel ἀπὸ τοῦ θέειν, id eſt, percurrendo, vel ἀπὸ τοῦ θεᾷν, id eſt, à ſpectando, quòd per omnia vadat, vel ſpectet & videat omnia: κύριος à libertate qua nos donauit, vt patronus libertum: δεσπότης à libertate in quam nos aſſeruit. quãquam hæc duo ferè pro eodem accipiuntur. Itaque vtrumque vno Domini expreſsi nomine.

ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν, καὶ γεννώμενος, &c. id eſt. Verbum quod antè orbem conditum & vnà cum eo erat, & natum erat, &c.) ὁ λόγος rectè hoc loco Verbum dicitur, paulò pòſt, vtrumque cogor vocare, & Verbum & rationem, quemadmodum ibi docebimus. συνὼν & γεννώμενος participia ſunt præſentis & præteriti imperfecti tempo ris, quæ apud nos participiis exprimi non poſſunt. Itaque præterito imperfecto, quod vocant, ea exprimere coactus fui.

καὶ γὰρ καὶ ἄνθρωπος, ὡς προέφημεν, γέγονε κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς βουλὴν, ἀποκυηθεὶς ὑπὲρ τῶν πιστευόντων ἀνθρώπων, καὶ καταλύσει τῶν δαιμόνων, id eſt. Nam homo quoque, vt paulò antè diximus factus eſt Dei & Patris conſilio ac voluntate, hominum qui credunt ſalutis cauſa ex aluo editus, dæmonúmque exitij, & euerſionis.) Quoniam eſt ὑπὲρ τῶν πιστευόντων, cum præpoſitione etiam legendum eſt, ἐπὶ καταλύσει τῶν δαιμόνων, id eſt, ob euerſionem, vel diſſolutionem dæmonum. Videtur ſpectaſſe & imitatus eſſe illud ex prima. b. Ioannis, εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου: id eſt. Ad hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Argumentum hoc a verbi Ieſu notatione ſumptum eſt. Sequens ab effectu. Atque hoc ad vtramque partem accõmodat. Cùm enim multos iam qui à dæmonibus occupabantur, in omni mundo, atque Romæ à Chriſtianis Ieſu Chriſti vi & nomine curatos eſſe dicit, cùm & ſalutis hominum, & exitij dæmonum cauſa natum eſſe Chriſtum docet, ita Ieſum & efficientem cauſam, quòd ſit author ſalutis credentium, & interimentem, quòd dæmonum poteſtatem & opera deleat, nominat. Hunc enim locum vocat Ariſtoteles ἐκ τῆς γενέσεως καὶ φθορᾶς. id eſt à cauſa generante & interimente.

ὑπὸ τῶν ἄλλων πάντων ἐπορκιστῶν, καὶ ἐπαστῶν, καὶ φαρμακευτῶν, μὴ ἰαθέντας.) ἐπορκιστὴν exor-

ciſtam cogor dicere, quòd iam nomen hoc in Theologia & Eccleſia tritum eſt, & in bono & in malo. ἐπαστὴς, ab ἐπᾴδω, quod incãto vulgo dicitur. Ita ſi liceret, incantatorem ἐπαστὴν diceremus. ἐπαστὴν autem & φαρμακευτὴν, id eſt, veneficum, vno magorum nomine expreſsi. ἐπορκίζειν etiam dixi adiurare cum Eccleſiaſticis.

ὅθεν καὶ ἐπιμένει ὁ θεὸς τὴν σύγχυσιν καὶ κατάλυσιν τοῦ παντὸς κόσμου μὴ ποιῆσαι, &c. id eſt. Itaque Deus non eſt ſic mundum deleturus & euerſurus, &c. vel, Deus, vt ita dicam, perſeuerat non confundere, diſſoluereque vniuerſum mundum. ὑπομένειν enim patientiã in Deo ſignificat. Quanquam hic locus ſubobſcurus eſt, propter ἵνα coniunctionem, quæ ferè finem declarat, quod non rectè hoc loco videtur intelligi. Si enim conuertam hunc locum hoc modo, Hinc etiam Deus perſeuerat, id eſt, non vult permiſcere & diſſoluere vniuerſum mundum, vt & improbi angeli, & dæmones, & homines iam non ſint propter Chriſtianorum ſemen, &c. nec vera, nec conſentanea videbitur oratio. Itaque vel corruptus mihi locus videtur, vel ἵνα pro ὥστε accipi, vt ſi οὕτω antecederet. φαῦλοι autem adiectiuum quod vocant ad tria hæc nomina ἄγγελοι, καὶ δαίμονες, καὶ ἄνθρωποι pertinet. Illud verò pronomen ὃ, in hoc toto, ὃ γινώσκει ἐν τῇ φύσει ὅτι αἴτιόν ἐστιν, nominandi caſum eſſe arbitror: quanquam accuſandi caſus eſſe videri poteſt, vt ſit ſenſus, Quod quidem Chriſtianorum ſemen ſcit Deus cauſam eſſe in natura, id eſt, cur naturam rerum velit manere & ſtare. Idem in ſecunda oratione planiùs dicit, καὶ γὰρ ὑπομονὴ τοῦ μηδέπω τοῦτο πρᾶξαι τὸν θεόν, διὰ τὸ ἀνθρώπειον γένος γεγένηται. προγινώσκει γάρ τινας, ἐκ μετανοίας σωθήσεσθαι μέλλοντας, &c. οὕτω γὰρ ἡμεῖς τὴν ἐκπύρωσιν φαμὲν γενήσεσθαι, ἀλλ᾽ οὐχ ὡς οἱ Στωικοί, &c. id eſt. Sic enim conflagrationem fore cenſemus, non, vt Stoicis placet, &c.) A differentibus. Differentiam enim opinionis de cæli terrarúmque deflagratione, Stoicorum Chriſtianorúmque exponit. Refellit ergo Stoicorum de mundi deflagratione ſententiam, ídque à turpitudine.

ἀλλ᾽ οὐδὲ καθ᾽ εἱμαρμένην πράττειν τοὺς ἀνθρώπους ἢ πάσχειν τὰ γινόμενα, &c. id eſt. Ne fato homines facere, aut pati quicquam eorum quæ fiunt & eueniunt, &c.) Refellit hoc loco Stoicorum de fato ſentẽtiam. Ij enim omnia quæ homines ſiue facerent, ſiue paterentur, id eſt, res omnes quæ hominibus eueniebant, ſiue ſecundæ ac bonæ eſſent, ſiue aduerſæ atque malæ, fati neceſsitate fieri ab eis, eíſque euenire dicebãt. Nonnulli ſcripſerunt libros de fato: apud nos Cicero, apud Græcos cùm multi alij quorum opera non extant, tum Plutarchus, cuius librum anno ſuperiore in Latinum conuertimus. Cauſam erroris Stoicorum exponit, quòd homines voluntate & iudicio, rectè facere & peccare, non intellexerint, quod ad liberum arbitrium pertinet: & opera dæmonum bonos exagitari, maliſque opprimi: malos contrà beatos & florentes opibus videri: quorum illud ſemper verum eſt, homines rectè facere, & peccare: hoc non ſemper, nec in omnibus improbis videtur.

γεννητοῦ δὲ παντὸς ἥδε ἡ φύσις, κακίας καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν εἶναι, id eſt. Omnium verò qui generati ſunt, hæc natura eſt, vitiũ & virtutem accipere poſſe) γεννητοῦ dicit, propter Deum in quo natura ſunt virtutes omnes, & in quem naturâ vitium nullum cadit. Primùm directo probat angelorum hominúmque genus eſſe ſuæ poteſtatis & voluntatis: deinde ab incommodis, id eſt, ab eo quod fieri non poteſt. Virtus & laus ſunt conſequentia, vt vitium & dedecus ſiue vituperatio. Sublato autem vno conſequentium, alterum tollitur. Si homo non eſt virtutis capax, nec laudis. ſi nõ eſt vitij, nec vituperationis. Idem confirmat teſtimonio eorum qui in ferendis legibus rectam rationem ducem ſequuti, itémque philoſophorum, qui iubent ea quæ recta ſunt, vetántque contraria. Eſt hoc argumentum extra artem, ſed tamen valet plurimum. Ariſtoteles libro tertio de moribus eodem modo argumentum tractat. Si virtutes iubentur & vitia vetantur à latoribus legum, ſunt in noſtra poteſtate. Fruſtra enim iubetur quod quis præſtare & efficere non poteſt.

εἴτε γὰρ καθ᾽ εἱμαρμένην φήσουσι τὰ γινόμενα πρὸς ἀνθρώπων γίνεσθαι, ἢ μηδὲν εἶναι θεὸν, παρατρεπόμενα, &c.) Hoc totum, ἢ μηδὲν εἶναι θεὸν, hîc non cohærere, ſed traiectum eſſe, ex hoc participio, παρατρεπόμενα & tribus aliis quæ ſequuntur, intelligi poteſt. Alióne autem in loco huius comprehenſionis cohærere poſsit, alij viderint, mihi quidem non videtur. Incommodis vrget hoc loco Stoicos.

ἀλλὰ

ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ παντὸς λόγου, ὅ ἐστι χριστοῦ γνῶσιν, &c.) Legendum eſt, ὅς ἐστι χριστὸς, quemadmodum ſcriptum eſt paulò pòſt proxima pagina hoc modo, ἐπειδὴ δὲ οὐ πάντα τὰ τοῦ λόγου ἐγνώρισαν, ὅς ἐστι χριστὸς, καὶ ἐναντία ἑαυτοῖς πολλάκις εἶπον, &c. τοὺς etiam articulum deeſſe poſt ἀλλὰ coniunctionem, verba quæ proximè antecedũt, declarant. Eſt enim ita ſcriptum, οὐδὲν δὲ θαυμαστὸν, εἰ τοὺς κατὰ σπερματικοῦ λόγου μέρος tum ſequuntur hæc, ἀλλὰ τὴν τοῦ παντὸς λόγου, &c. Eſt in hac circumſcriptione extrema ſcriptum, ἐλεγχόμενοι ἐνεργοῦσι, legendum arbitror, ἐλέγχονται ἐνεργοῦντες, id eſt, conuincuntur, ſiue inueniuntur facere dæmones, vt multo maiore odio habeantur.

κἀγὼ οὖν προσδοκῶ, &c. id eſt. Quamobrem ego quoque ſpero fore, &c.) Hinc magnum. b. Iuſtini ardorem ac ſtudiũ in Chriſtum intelligere poſſumus, qui à veritate prædicanda nullo ſupplicio deterreri potuit. Adhuc reſpõdit occupando obiectioni de Deo qui ſalutem Chriſtianis afferre non videbatur. Hoc ita diluit, vt doceret non Dei negligentia vel imbecillitate Chriſtianos ſuppliciis affici & morte mulctari, ſed dæmonum ſcelere & opera, quo nomine tandem in igne æterno cum ſceleſtis hominibus pœnas ſit daturus. Hoc autem ne quis iniquum eſſe diceret, quòd fato omnia fierent, occupando diluit multis rationibus, docuitque falſam eſſe Stoicorum de fati neceſsitate ſententiam. Concludit ergo à ſimili: cùm dæmones impellant homines, vt bonos omnes exagitent, maliſque opprimant, expectare ſe fore, vt ab aliquo in crucem agatur, aut etiam à Creſcente, cuius quidem inſidiis & ſcelere, vt ait Euſebius, quaſi tem quæ euentura erat prædiceret, oppreſſus & interfectus eſt. Deinceps de Creſcentis doctrina & vita diſſerit. Eſt autem digreſsio, ſed cum re coniuncta. Aguntur enim iniuriæ, quas Chriſtiani ab aliis accipiebant, iiſque coactum ſe Iuſtinus ad dicendum veniſſe prima oratione dixit. Vtitur agnominatione cum ait, ἀφιλοσόφου καὶ φιλοκόμπου, οὐ γὰρ φιλόσοφον ἄξιον εἰπεῖν, &c. In exemplari Iuſtiniano eſt ſcriptum, φιλοψόφου, & in Euſebio, ἀφιλοσόφου, quod nomen interpretatus ſum. Nec tamen dicere poſſum, vtrum Iuſtinus dixerit. In Euſebiano etiam paulò pòſt, ſcriptum eſt, περὶ ὧν ἃ μὴ ἐπίσταται, & in Iuſtiniano, ὅσγε περὶ ἡμῶν ἃ μὴ ἐπίστασθαι in infinito modo vitioſè illud quidem, ſed fortaſſe in aliis melius. Nam in Euſebiano quidem certè illud περὶ ὧν ἃ μὴ ἐπίσταται, corruptum eſt, legendúmque eſt, περὶ ὧν μὴ ἐπίσταται, ἃ detracto atque dempto, vt omnes qui Græcè ſciunt, intelligunt, quemadmodum etiam Iuſtinus tertio ferè verſu poſt dicit, περὶ ὧν οὐκ ἐπίσταται.

εἴτε γὰρ μὴ ἐντυχὼν τοῖς τοῦ χριστοῦ διδάγμασι, &c. id eſt. Si enim in Chriſti diſciplina verſatus non eſt, &c.) Dilemmate vtitur, quod argumenti genus eſt firmiſsimum. Sumitur autem ex contrariis & eorum conſequentibus. Aut Creſcens in Chriſti diſciplina verſatus eſt, aut non eſt verſatus: Si non eſt verſatus, non debet in nos impetum facere, nec de iis quæ ignorat, diſputare, & pro teſtimonio dicere, Alióqui multò eſt vulgo improbior & deterior. Si verſatus eſt, eam vel intelligit, vel non intelligit. Si non intelligit, eodem loco habendus eſt. Si intelligit, ſed ne Chriſtianus videatur, hæc facit, multo etiam ignobilior & inferior eſt multitudine ipſa, quæ iſta tali opinione metúque à confeſsione non deterretur. Secundum autem membrum corruptum eſt in exemplari Iuſtiniano. Sic mihi legendũ videtur, εἰ ἐντυχὼν, ἢ μὴ συνῆκε τὸ ἐν αὐτοῖς μεγαλεῖον, ἢ συνιεὶς, &c. Eodem in ambitu orationis ἀγεννὴς ſimpliciv legendum eſt, cuius contrarium eſt εὐγενὴς, id eſt, nobilis.

ἵνα δὲ μή τις εἴπῃ τὸ λεγόμενον, &c. id eſt. Sed ne quis dicat, &c.) Occupatio eſt poſt digreſſionem. Dixit paulò antè improbos angelos, dæmonáſque & homines in æterno igne pœnas eſſe daturos: quod etſi tum prophetas prædixiſſe aſſeruit, tum Chriſtum docuiſſe tamen hoc etiam ab incommodis docet. Dicit enim ni ita ſit, aut nõ eſſe Deum, aut ſi ſit, non curare res humanas, & nihil eſſe virtutem ac vitium. Hæc vt nota & perſpicua ex ſuperioribus nec ſumit, nec probat. Quartum autem illud, Si ita ſit, iniuria latores legum ſuppliciis afficere, eos qui leges violent, vt notum, negando ſumit. At quoniam non ſunt illi iniuſti, nec iniuſti ſunt etiam ij qui eis aſſentiuntur, eos intelligens, qui legibus parent, ex quo efficitur id quod vt notum non concludit, eos qui non parent legibus eſſe iniuſtos. Ita iure de iis ſumptum iri ſupplicium æternum à Deo.

ἐὰν δέ τις διαφόρους νόμους τῶν ἀνθρώπων προβάλληται, &c. id eſt. Quòd ſi quis diuerſas diſsimileſque hominum leges proferat & obiiciat,&c.)Occupatio. Dixerat latores legum non eſſe iniuſtos,nec iniuria punire eos qui leges violent:quo loco quoniam aliquis ei occurrere poterat, obiiciens leges hominum contrarias, præſertim in diuerſis regionibus, quarum aliæ leges probarent, quas aliæ improbarent, contrariáſque approbarent,ex quarum diſcrepantia alterutrarum latores iniqui haberentur neceſſario:occupatione reſpondet, eas demum leges iuſtas eſſe quas recta ratio probauerit, eas etiam iniquas & vitioſas,quas eadem repudiauerit.

ὥστε μοι καὶ πρὸς τοὺς τοιούτους τὰ αὐτά, &c.id eſt.Itaque à me quoque,&c.) Concluſio huius occupationis,per tranſitionem.

μεγαλειότερα μὲν οὖν, &c. id eſt. Hoc quidem conſtat, &c.) Diſciplinam religionémque chriſtianam præſtare humanis alio ducto principio docet hoc loco communi. Quæ diſciplina maiore ratione inuenta & inſtituta eſt,ea eſt præſtantior. Noſtram ergo diſciplinam cæteris præſtare docet, quòd cum eæ omnes quæ præclarè à philoſophis inuentæ & inſtitutæ ſunt, parte quadam rationis adhibita inuentæ ſint, noſtra à Chriſto qui ipſa tota ratio eſt, noſtræque ſalutis cauſa venit, eſt inſtituta. Hic locus eſt,in quo, vt antè dixi hoc nomē λόγος non rectè nec ſermo,nec verbum dici poteſt,ſed ratio. Ait enim quicquid philoſophi latoréſque legum præclarè locuti ſunt,& inuenerunt,id ab eis elaboratum eſſe κατὰ λόγου μέρος εὑρέσεως, id eſt,parte rationis,id eſt, inuentione & contemplatione. Sed quoniam non omnia τὰ τοῦ λόγου ἐγνώρισαν,ὅς ἐστι χριστοῦ, id eſt, quæ ſunt rationis,qui Chriſtus eſt,cognita habuerunt, & quæ ſequuntur. Corruptus eſt autem hic locus,quem ſic corrigemus,διὰ τὸ λογικὸν ὅλον τὸν φανέντα δι' ἡμᾶς χριστὸν γεγονέναι, ὁ δὲ δαίμονας μὲν τοὺς φαύλους καὶ τοὺς πράξαντας ἃ ἔφασαν οἱ ποιηταὶ, ἐκβαλὼν τῆς πολιτείας, καὶ ὅμηρον,&c.id eſt,cùm ipſe dæmonibus improbis & qui ea geſsiſſent,quę poëtę memoriæ prodiderunt,è Rep. eiectis,& Homerum,& quæ ſequuntur.) Laudat & in hac defenſione & in poſteriore ita Socratem,vt eum in numero bonorum ducat:quod dubium eſt, quemadmodum etiam id quod paulò antè de Heraclito Muſonióque dixit. Quod autem ait hoc loco de Deorum ſiue dęmonum ex rep.eiectione, Homeríque & aliorum poëtarum deteſtatione,id ſcriptum eſt apud Platonem cùm multis aliis in libris,tum in iis qui ſcripti ſunt de Republica.

τὸν δὲ πατέρα καὶ δημιουργὸν πάντων οὔθ' εὑρεῖν ῥᾴδιον,&c. id eſt. Atque illum quidem quaſi parentem & effectorem vniuerſitatis huius,& inuenire difficile eſt,& quæ ſequuntur.) Hæc ſunt in Timęo Platonis,ſed paulùm cōmutatis verbis. Eſt enim ita ſcriptū,τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι,&c.id eſt. Chriſto autem,qui etiam Socrati quadam ex parte cognitus eſt: & quæ ſequuntur.) A differentibus. Comparat Chriſtum Socrati,atque adeò anteponit, quòd Socrati dæmones improbos repudianti, hominéſque ad ignoti Dei notitiam cohortanti nemo ita voluit credere, vt pro eo decreto, mortem oppetere vellet: Chriſto autem homines multi non ſolùm docti,ſed etiam indocti Deum verum prędicanti ita crediderunt, vt nullo metu, nec morte deterreri potuerint.

καίτοι γε καὶ τὸ ξενοφώντειον ἐκεῖνο νῦν πρὸς τὸν κρήσκοντα,&c.id eſt. Quinetiam illud Xenophonteum nunc contra Creſcentem,& quæ ſequuntur.) Defendit hoc loco Chriſtianos, qui omnia quæ hic præclara habentur, contemnerent ac pro nihilo putarent, ab honeſto, & virtute, qua qui prædìti eſſe velint, exemplo quod Prodicus de Hercule vt eſt apud Xenophontem in Cyri παιδείᾳ ſcriptum,finxit, omnia voluptatum genera ſpernere, aſperâque omnia æquo animo ferre debent. Quaſi diceret, Non ſolùm nos Chriſtiani ita docti ſumus,vt virtutis cauſa& nomine voluptates omnes fugiamus,grauiáque omnia perferamus, ſed omnes etiam qui & virtutem amant, & vitia oderunt.

καὶ πάνθ' ὁντινοῦν πεπείσμεθα,φεύγοντα τὰ δοκοῦντα καλά, &c.) Hæc verba Iuſtini ſunt,induta Chriſtianorum perſona loquentis. Itaque ſic malim conuerti hunc locum, Omnémque hominem, qui fugiat ea quæ bona & præclara videntur, & quæ dura ſtultáque habentur, ſequatur, beatam vitam adepturum eſſe certo ſcimus. ἄλογα ſtulta dixi, cùm etiam à ratione aliena & abſurda dici poſsit. Mihi traiectum videtur verbum

hoc

hoc πεπείσμεθα, legendúmque hoc modo, καὶ πεπείσμεθα πάνθ᾽ ὁντινοῦν, φθέγγοντα, &c.
οἱ δὲ νενοηκότες τὰ πρέποντα τῷ ἐν τῷ καλὰ, &c.) Locus hic corruptus eſt multis modis. Eſt ἄφθαρτοι cùm legendum ſit in neutro ἄφθαρτα, vt τὰ καλὰ. ἔφθαζον etiam ſcriptum eſt, cùm ἔφαζον, id eſt, dixerunt legendum ſit. Hoc autem totum, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ ἄθλου τὴν ἀνθρώπων corruptum eſt illud quidem, ſed quomodo corrigendum ſit, non poſſum dicere. Legendum eſt autem hoc modo potiùs, καὶ τὴν ἀνθρώπων τὴν ἀπὸ τοῦ ἄθλου, ſi modo ἄθλου legendum eſt. Corrupta eſt etiam proxima hæc verborum circumſcriptio, πάντα ὑμῖν ἔχει ἐκ τοῦ καὶ φθικτοῦ καταφρονεῖν, &c. Legendum arbitror pro, ἔχει ἕλκει vt ad ἕλκοντα referatur. ἐστὶν ἕλκοντα, id eſt, diſtrahunt.
τίς γὰρ φιλήδονος, &c.) Corruptus eſt etiam hic locus quod ex δὲ etiam coniunctione intelligi poteſt. Itaque in ſecundo membro pro γὰρ, δὲ legendum arbitror. nihil enim prætereà poſſum dicere. Hoc loco exponit Iuſtinus ſe Chriſtianorum virtute & patientia, cùm Platonis diſciplinæ ſe dedidiſſet, adductum, ea repudiata ſe ad noſtram tranſtuliſſe.
τίνος γὰρ χάριν οὐχὶ καὶ ταῦτα δημοσίᾳ ὡμολογοῦμεν, &c. Id eſt. Cur enim non etiam in bonis eſſe profitebamur, &c.) Firmiſsimum eſt argumentum, cùm ea quę obiiciuntur, eorum qui ea obiiciant, exemplo defenduntur. Obiiciebant Gentes Chriſtianis, hominum cædes & immolationes, virorúmque inter ſe cõcubitus, quæ quidem omnia Gentes eorúmque dij faciebant. Argumentum autem hoc ita tractari poteſt. Quod nobis obiicitis, nos & homines occidere & immolare, viróſque cum viris, ac cum mulieribus impunè miſceri, id poſſem veſtro deorúmque veſtrorum exemplo defendere. Quoniam autem & hæc ipſa, & eos qui ea fecerunt atque imitantur fugiendos cenſemus, in odium incurrimus, ſed negligimus, quòd Deũ teſtem iuſtum eſſe ſcimus. ὡμολογοῦμεν quod eſt præteriti imperfecti temporis modi indicandi, profiteamur etiam per ſubiungendi modum dici poteſt.
εἰ δὲ καὶ νῦν τις ὤν, τραγικῇ φωνῇ, &c. Quòd ſi quis nunc etiam eſſet, &c.) Habet hic locus ſpeciem quandam proſopopœiæ. Non intelligo quid hoc loco velit. Si enim hoc dicat, ſi quis Chriſtianus tum talis fuiſſet, eum ex loco excelſo clamaturum fuiſſe, id quod ait, culpandus fuiſſet. Nam fuiſſet in culpa. Deinde cur ille potiùs hoc obiiceret, quàm cæteri qui ei culpæ affines non eſſent? Itaque locus mihi corruptus videtur.
καὶ ὑμᾶς οὖν ἀξιοῦμεν ὑπογράψαντας τὸ ὑμῖν δοκοῦν, προθεῖναι τὸ βιβλίδιον, &c. Quare à vobis petimus, vt ſubſcripta ſententia & approbatione veſtra, libellum hunc in lucem proferatis, &c.) Peroratio eſt per deprecationem cum eorum ferè omnium quę dicta ſunt, enumeratione. Eſt autẽ magna ex parte corruptus hic locus vſque ad extremã orationem, à me autem qua potui diligentia emendatus. Vbi eſt ſcriptum, διὸ ἐν τῇ φύσει, &c. legendum eſt, διὰ τὸ, quod ſatis declarat verbum infinitum εἶναι, quod ſequitur. Illud autem, διὰ τὸ, ἡμῶν, οὓς οὐκ ἐδύναντο, &c. ſic legendum eſt, mea ſententia, διὰ τὸ, ἡμῶν, οὓς οὐκ ἐδύναντο πράττοντας τοιαῦτα ὁποῖα λέγουσιν αἰσχρὰ, καταψηφιζομένους εἶναι, vel καταψηφίζεσθαι. Siquidem διὰ τὸ iungi vult cum verbo infiniti modo, & verbum ἐδύναντο atque accuſandi caſus hi, οὓς, &c. τοιαῦτα πράττοντας, vel ποιοῦντας deſyderari ſignificant. Multò difficilius corrigi poteſt hic locus, ἐκ τοῦ καὶ ἡμῖν ὡς τοιαῦτα πράττουσι, θάνατον, ἢ δεσμὰ, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον προσκείμενον. ἑαυτοὺς κατακρίνειν. Deeſt quidem verbum, ad quod hi dandi caſus, ἡμῖν πράττουσι, & accuſandi caſus hi, θάνατον, δεσμὰ, & τὸ τοιοῦτον, pertinent, id eſt, quod hos ſibi caſus tribui vult: ſed quodnam illud ſit, ignoro. Nec ſolum verbum deeſt, ſed etiam ὅτι, vel ſimilis coniunctio, proptereà quòd ἐκ τοῦ ad κατακρίνειν infiniti modi verbum referatur. Itaque ſic corrigi hunc locum rectè poſſe arbitror, ἐκ τοῦ, ὅτι καὶ vel εἰ καὶ ἡμῖν, &c. Illud autem quod ſequitur de Simonis diſciplina, ſiue doctrina, καὶ τοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ἔθνει ἀσεβοῦς καὶ πλάνου, Σιμωνιανοῦ διδάγματος, καταπεφρόνηται, quorſum à Iuſtino poſitum ſit, neſcire me profiteor, cum ita malè cum ſuperioribus, & poſterioribus cohæreat, ut additum ab alio potiùs, quàm ab illo poſitum eſſe videatur. In proximo ambitu orationis, cuius principium eſt, ἐὰν δὲ ὑμεῖς τούτοις προσέχητε, ποιήσομεν in futuro indicandi modi legendum eſſe παυσόμεθα quod paulò pòſt ſequitur, declarat. Paulò pòſt ſic poſt tertium verbum adhibenda eſt diſtinctio. εἰ δὲ μὴ, κἂν σωτα-

δείοις, καὶ φιλαινιδείοις, & quæ ſequuntur. Eſt autem correctio quædam eius quod dixerat, diſciplinam noſtram præſtare humanis omnibus, id quod paulò antè docuit. Nam εἰ δὲ μὴ, idem efficit, quod illud noſtrum, Sin minùs, atque δὲ coniunctio μὲν ſuperioris membri reſpondet. Σωτάδεια porrò διδάγματα vocat diſciplinam impudicam Sotadis poëtæ. Erat autem, vt ait Suidas, Cres Maronitanus poëta Iambographus: ſcripſitque impudicos libros de fœdis puerorum amoribus, in iis Priapus quidam inſcriptus. Philænis etiam mulier fuit impudica. Paulò infrà μὴ vel οὐ negatio deeſt, & ἂν vel ἔσται pro ὦν legendum eſt, hoc modo, καὶ μὴ παυσώμεθα λοιπὸν, ὅσον ἐφ' ἡμῖν ἂν, vel ἔσται. Nec verò πράξαντες & προσεπιταξάμενοι participia prioris definiti, benè cohærent cum παυσώμεθα verbo futuri temporis, legendúmque mihi videtur neceſſariò in præſenti, πράττοντες, & προσταττόμενοι. Dicimus enim, οὐ παύομαι πράττων. Adhuc officium ſuum pollicitus eſt & detulit in eóque ſe fore dixit, ſi Romani principes atque Senatus librum hunc ſubſcripta ſententia ſua, in lucem proferri velint. Ex quo quod nam officium illorum ſit, extrema eáque breui verborum comprehenſione concludit. Eſt autem corrupta ſic, vt vix emẽdari corrigíque poſsit. Mihi ἡμᾶς per η malè ſcriptum primùm videtur, deinde ὑμῶν in patrio caſu legendum: εἶναι enim cùm eſt officij, quemadmodum apud nos, ſic apud Græcos cum illo caſu iungitur. Atque hæ quidem perſpicuæ veræque ſunt correctiones. Quæ autem adhibenda ſit huic toto, ὑπὲρ ἑαυτῶν κρῖναι, non perinde facilè eſt iudicare. Mihi quidem ὑπὲρ ἡμῶν legendum videtur. Neque enim ὑπὲρ ἑαυτῶν rectè legi poteſt, ſiue ad primam perſonam, id eſt, ad Chriſtianos referatur, ſiue ad ſecundam, id eſt, ad Romanos.

Omneis quidem intelligere arbitror, quàm corrupta & deprauata ſit cùm hæc oratio tota, tum principium eius & peroratio. Sed tamen peroratio ipſa alio etiam modo corrupta mihi videtur, id eſt, circumſcriptionum traiectione. Illud enim, ἐὰν δὲ ὑμεῖς τοῦτο προαγάγητε, cuius extremum verbum eſt συνετάξαμεν, legendum eſt poſt hæc verba, οὐκ ἔστι δὲ ἡμῶν τὰ διδάγματα & quæ ſequuntur vſque ad hoc, συγκεχώρηται.

EIVS-

EIVSDEM PERIONII IN POSTERIOREM IVSTINI PRO CHRISTIANIS APOLOGIAM, obſeruationes.

Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ εὐσεβεῖ, σεβαστῷ καίσαρι, & cætera, id eſt. Apud Titum Aelium Adrianum Imperatorem, Antoninum Auguſtum Cæſarem, & cætera.) Noſtra conſuetudo ſolet magiſtratuum ſiue honorum nomina extrema dicere, id eſt, omnibus prænominibus, nominibus, & agnominibus poſtponere: id quod hoc loco obſeruaui. Sunt autem hæc Titus Aelius Adrianus Antonini pij prænomina, quæ Adrianus Imperator à quo adoptatus eſt, habuit, id quod commemorandum cenſui, ne qui hanc orationem apud Adrianum Imperatorem à Iuſtino dictam eſſe exiſtimet. Atque id declarat eiuſdem Adriani Epiſtola, cuius exemplum oratione hac extrema Iuſtinus ſubiecit. Dandi caſus in accuſandi cum apud præpoſitione mutaui, propter ſermonis noſtri conſuetudinem. σεβαστὸν quem Auguſtum dicimus non tam ab augenda Republica quàm à ſanctitate & cultu, Græci vocant. Templa enim auguſta ſacra dicuntur. Itaque Cicero hæc duo verba, auguſtum & ſanctum ſolet coniungere. Si ad verbum exprimamus σεβαστὸν eſt quod in titulis quos vocant, colendum dicunt, ſiue venerabilem aut venerandum, ſiue etiam reuerendum, à verbo σεβάζειν quòd ſignificat venerari, colere. & quia ea quæ digna ſunt cultu & veneratione, ſancta ſunt & religioſa, factum eſt vt auguſtum pro ſancto & ſacro cœptum ſit accipi. εἰς αὐτῶν, τὴν προσφώνησιν καὶ ἔντευξιν πεποίημαι, ſine diſtinctione εἰς αὐτῶν legendum arbitror, & cætera ſeparatim, quòd paulò antè dixit, ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων, & cætera. id eſt. Pro iis quos omne genus hominum, & cætera. Cùm enim fateatur ſe pro iis dicere quos iniuria omne hominum genus odit, & calumniatur, pro Neapolitanis etiam ſignificat ſe loqui: Cur ergo eorum προσφώνησιν ſe feciſſe diceret? προσφώνησιν & ἔντευξιν pro eodem poſita exiſtimo non ἔντευξιν pro poſtulatione & deprecatione. Erunt fortaſsis, qui illud, ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων, ad Chriſtianos volent pertinere. Ego quoque poſſe non nego, ſed idem rectè etiam poſſe ad alienos religionis noſtræ homines accommodari, confirmo, vt ἐκ τοῦ γένους ad μισουμένων pertineat. Hoc loco licet mirari, cur hoc totum contra conſuetudinem oratorum ante principium orationis poſuerit: illud etiam quærere poſſumus, vtrum hoc ipſum in orationis principio pronunciauerit (eam enim ipſe dixit vt προσφώνησιν nomen declarat) an ea tam dicta addiderit. Si enim pronunciauit, non vſus eſt hoc verbo πεποίημαι, quod eſt præteriti temporis. Nam ſi illud verbum præteriti temporis dixit, & poſuit, quoniam tum falſum erat quod ſignificat, falſum pronunciauit. Itaque ποιοῦμαι dixiſſe, ſi modo ea verba principio totius orationis ab eo prolata ſunt, videtur.

τοὺς κατὰ ἀλήθειαν εὐσεβεῖς καὶ φιλοσόφους, μόνον τἀληθὲς τιμᾷν καὶ στέργειν ὁ λόγος ὑπαγορεύει, & cætera, id eſt. Iis qui verè pij & philoſophi ſunt, ratio præcipit vt verum vnum colant atque ament, & quæ ſequuntur.) Exorditur à ſententia quæ vim locúmque propoſitionis maioris quam vocant, obtinet: Sumptio enim eſt illa quæ paulò pòſt ſequitur, Veſtræ quidem religionis, & cætera. In propoſitione ponit iis qui verè pij & philoſophi ſunt, cui opponitur id quod de Romanorum religionis doctrinæque opinione in ſumptione dicit. Contraria enim ſunt, aut

quaſi contraria, verè eſſe pium atque philoſophum, & talem eſſe ſola hominum opinione. Non dicit Romanos ſola opinione quæ vbique peruagata ſit, eſſe in Deum religióſos, atque bonos & doctos: eorum enim animos à ſe prorſus abalienaſſet: neque eos re & veritate eſſe pios, ne aſſentari eis videretur, quod eſt à verè Chriſtiano alienum: ſed num tales re & veritate eſſent, quales haberentur, in cauſæ huius exitu perſpicuum futurum. Ita & à perſona iudicum beneuolentiam comparat, dum de eorum religione, iuſtitia, atque philoſophia vbique magnā eſſe dicit opinionem, & à ſua, dum ſe aſſentandi cauſa veniſſe ad dicendum negat. Quod multo etiam euidentiùs & clariùs poſteà facit, dum non ſolùm ſe non recuſare dicit, quo minùs Chriſtiani ſi criminis conuincantur, afficiantur ſuppliciis, ſed etiam, vt hoc faciant, rogat. Rurſus à ſua perſona conciliat animos iudicum, dum ab eis petit, ne ex veteri opinione, quæ eorum animos occupauerit, aut hominum placendi ſtudio, aut aliquo animi impetu ducti, iudicent. Commendat enim virtutem & mores ſuos. Quinetiam à perſona iudicum, beneuolentiam comparat, dum eos officij commonefacit. Metum verò & terrorem iniicit iudicibus, dignámque homine Chriſtiano libertatem & conſcientiam oſtendit, dum & Chriſtianos à quoquam malum vllum perpeti poſſe negat, niſi maleficij conuincantur, & illos quidem interficere poſſe fatetur, ſed nocere non poſſe. Principium hoc diligenter obſeruandum eſt. Continet enim officium & boni viri in reddenda vitæ ratione, & iudicis in ferenda ſententia. Sed magnam vim habent ad perſuadendum quid faciendum ſit, officiorum perſonarúmque inter ſe comparationes.

ἔφη γάρ που καί τις τῶν παλαιῶν, &c. Quidam enim etiam veterum quodam loco, &c. Plato.

ὀνόματος μὲν οὖν προσωνυμία, &c. id eſt. Nominis quidem appellatio, & quæ ſequuntur.) Hinc incipit obiectis criminibus reſpondere. Primum crimen quod noſtris à Gentibus obiiciebatur, erat quòd Chriſtiani nominarentur. Leue aut nullum potiùs eſſe docet crimen quod cuiuis obiiciatur ex nomine, ídque generaliter, vt ſit maior propoſitio, niſi vita & facta aliquid ſceleris quod nomini ſit conſentaneum, ineſſe declarent. Sumptio autem eſt, Nos autem quod ad nomen attinet, optimi ſumus. Ex quibus ſequitur. Non igitur in nos criminoſum nomen eſſe debet. Hoc loco tacitè docet, quod argumentum à verbi notatione, ſiue à nomine (nam verbi notatio vtrumque complectitur, quemadmodum ſecundo de dialectica libro docui) firmum eſſe oporteat. Sumptionem probat multis rationibus, primùm quod eſt ante exceptionem, quòd ex nomine nec laus comparetur, nec ſupplicium ſumatur, niſi aliqua virtus aut vitium operibus & factis demonſtretur: deinde à Romanorum conſuetudine, qui neminem condemnabant, qui non eſſet conuictus criminis. Nos autem nullius criminis conuicti ſumus, Non igitur condemnandi ſumus, ſed potiùs accuſatores. tum ab alia eorum conſuetudine. Si quis in iudicium veſtrū adducatur, & crimē verbo neget, eum abſoluitis, niſi cōfiteatur crimen. Nos in iudicium veſtrum adducti, verbo negamus crimen, non confitemur. Nos igitur abſolui debemus, non ſuppliciis affici.

ὃν γὰρ τρόπον παραλαβόντες τινὲς παρὰ τοῦ διδασκάλου Χριστοῦ μὴ ἀρνεῖσθαι ἐξεταζόμενοι παρακελεύονται, &c. id eſt. Quemadmodum enim quidam à Chriſto magiſtro non negare in quæſtionibus iubentur, &c.) Eſt occupatio eius quod obiicere poterat. Dixit Iuſtinus, ſolitos eſſe Romanos, eos abſoluere qui in iudicium adducti vel in quæſtionibus crimen negarent, quòd nullum eius crimen docere poſſent: in quo ſumptio intelligitur, Nos autem crimen negamus eſſe Chriſtiani nomen quo appellamur, niſi mala, & ſcelera doceantur: ex quibus effici vult, abſoluendos eſſe Chriſtianos. Romani ergo hoc obiicere poterant, Multi Chriſtiani in iudicium adducti aut in quæſtionibus conuicti ſunt criminis & ſe Chriſtianos eſſe negauerunt. Latent igitur ſcelera ſub hoc nomine. Ita ſuppliciis affici debetis Chriſtiani. Occurrit illis hoc loco Iuſtinus per enumerationem Chriſtianorum. Alios enim veros Chriſtianos ait eſſe, qui præceptis parentes Chriſti magiſtri, in quæſtionibus nec negant nomen, nec ſceleris conuincuntur. Alios qui improbè viuunt, & vita ſua nefaria cauſas dant malè de Chriſtianis ſentiendi iis qui Chriſtianos vniuerſos in crimen vocare cupiunt. A ſimili hoc docet, atque non eſ-

ſe

ſe æquum propter nonnullos qui improbi ſint, Chriſtianorum vniuerſum genus improbare ac ſupplicijs afficere. Eſſe enim ait nonnullos qui philoſophiæ nomen ſibi vendicent, cùm nihil profeſsione ſua dignum faciant. Veteres etiam philoſophos appellati eos ſcire dicit, qui pugnantia cenſuerint & docuerint, quorum nonnulli naturam Deorum nullam eſſe docuerint: poëtáſque narrare Iouem libidinoſum fuiſſe cum liberis. Quæ cum ità ſint, tamen eos qui illorum diſciplinam tractent, ab illis, id eſt, à Romanis minimè arceri, & præmia atque honores proponi iis, qui in Deos magna voce dicant. Ex quibus omnibus concludit, id quod eſt huius loci proprium, nullum eſſe crimen quòd Chriſtiani vocentur, cùm nihil ſceleris ſe admittere profiteantur, neque impia iſta comprobare.

οὐ κρίσεις ἐξετάζετε, &c. id eſt. Non iudicia exercetis, &c.) Licentia.

ἐπεὶ τὸ παλαιὸν δαίμονες φαῦλοι ἐπιφανείας ποιησάμενοι, καὶ γυναῖκας ἐμοίχευσαν, &c. id eſt. Quondam enim dæmones mali cum ſe oſtendiſſent, & mulieribus ſtupra obtulerunt, &c.) De hac re in priore apologia longa oratione dictum eſt.

οὐ γὰρ μόνον ἐν Ἕλλησι διὰ Σωκράτους, &c.) Legendum eſt, ἐν Ἕλλησι vt eodem verſu ſcriptum eſt, ἐν βαρβάροις. Hoc autem dicendi genus, in Græcis & in Barbaris hæc reprehenſa ſunt, pro apud Græcos & Barbaros, à Cicerone vſurpatum eſt nonnullis locis. In primo de diuinatione, eáque diuinationum ratio in Barbaris quidem gentibus neglecta eſt. Paulò infrà. Et in Perſis augurant & diuinant Magi, & quæ ſequuntur.

ἔνθένδε καὶ ἄθεοι κεκλήμεθα, id eſt. Hinc etiam Athei nominati ſumus.) Hoc eſt alterum crimen, quod Gentes obiiciebant Chriſtianis. Crimen hoc confitetur, vt ipſi intelligebant, id eſt, fatetur Chriſtianos negare Deos eſſe dæmonas, alióſque vt Iouem, vt Mercurium cæteróſque qui dij haberentur: negat autem de vero Deo, Patre, Filio, ſanctóque Spiritu. Ita veram de Deo vero ſententiam à falſa de falſis diis diſtinguit. Negat igitur quod negandum eſt, & quod concedendum adhibita ſententiæ interpretatione confitetur: hanc autem Chriſtianorum de Deo quem colerent ſententiam tacitè veram eſſe & falſam illam confirmat à contrariis. Hic quem colimus pater eſt iuſtitiæ, temperantiæ cæterarúmque virtutum, nec in eum vitium vllum cadere poteſt. Illi autem conſtupratores ſunt, ſceleſti & improbi. ἄθεος eſt, qui Deum eſſe negat, qui tollit naturam Dei, cui nullus eſt Deus, ob eámq; cauſam nullũ colit neque veneratur. Hoc loco iungit hoc nomen cum patrio caſu Deorum, ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι, quod quidem dicendi genus nouum eſt, nec in eo ἄθεοι εἶναι plus efficit, quam eſſe ſine, vel carere, vel negare. Hoc etiam mirum eſt, quòd angelos à Chriſtianis coli & adorari dicit, ſed non eodem genere cultus & venerationis ſiue adorationis, quo Deum ſolemus, etiamſi angelos & patrem, Filiúmque ac Spiritum coli & adorari dicat à Chriſtianis nulla adhibita diſtinctione. Ex hoc loco argumentum firmiſsimum elicere poſſumus ad confirmandam Sanctorum contra eorum hoſtes venerationem. Chriſtiani primis religionis noſtrę temporibus omnem angelorum exercitum colebant, & venerabantur: Chriſtiani igitur qui nunc ſunt & ex eo tempore fuerunt rectè Sanctos colunt atque venerantur.

ἀλλὰ φήσει τις, ἤδη τινὲς ληφθέντες, ἠλέγχθησαν κακοῦργοι, id eſt. Sed dicet aliquis, Iam quidam capti, conuicti ſunt maleficij.) Occupatio eſt aperta. Superior erat obſcura, nec eodem pertinebat. Illic enim agebatur de Chriſtianis qui improbè viuentes cauſas dabant malè de omnibus, ſentiendi, iis qui Chriſtianorum ſcelus vellent exponere. Hic autem de iis agit qui poſt delationem nominum expoſitionémque criminum, conuicti ſunt maleficij. Eis occurrit hoc loco primùm ab illorum conſuetudine, qui cùm vitam vniuſcuiuſque ſemper exquirerent, tamen neminem eorum de quorum vita quærerent, propter eos qui conuicti anteà fuiſſent, condemnarent. Nam προελεγχθέντας legendum eſt, id eſt, eos qui antea conuicti ſunt, non, vt eſt in Iuſtiniano exemplari, προλεχθέντας. Ex quo vult effici, ſi aliqui Chriſtiani conuicti ſint maleficij, non tamen propter eos qui anteà conuicti ſint, omnes ab eis condemnari oportere. Deinde occurrit eis à ſimili. Quemadmodum fuerunt philoſophi multi, qui & ſi diſsimilia diſcrepantiáque docerent & defenderent, tamen philoſophi omnes vocabantur: quorum ſi

qui propter vitæ improbitatē aut inſtitutorum decretorúmve abſurditatem condēnati ſunt, non tamen vt philoſophi, ſed vt flagitioſi & ſceleſti: ſic inter nos ſunt nonnulli, qui eodem nomine Chriſtianorum quo nos, appellantur, etſi praua ſentiant: qui ſi maleficij conuincantur, non vt Chriſtiani condemnari debent & puniri, ſed vt flagitioſi: nec ſolùm hoc dicimus, ſed vos etiam vt faciatis rogamus, ſi vobis aliqui deferantur.

ἵνα ὁ ἐλεγχθεὶς ὡς ἄδικος κολάζηται, ἀλλὰ μὴ ὡς χριστιανός, &c. id eſt. Vt is qui conuictus erit, tanquam improbus ſupplicio afficiatur, non vt Chriſtianus, &c.) Aliam habuit rationem cùm hoc dixit, atque. B. Petrus, qui in priore epiſtola ſcribit hoc modo, μὴ γάρ τις ὑμῶν πασχέτω ὡς φονεύς, ἢ κλέπτης, ἢ κακοποιός, ἢ ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος· εἰ δὲ ὡς χριστιανός, μὴ αἰσχυνέσθω, id eſt. Nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat. Nam. B. Petrus de eo quod fit ſed iniuria, loquitur: Iuſtinus autem de eo quod fieri debet, ac iure fit. Deinde. B. Petrus monet Chriſtianos quo animo in ſuppliciis eſſe debeant: Iuſtinus autem Gētes docet quid de Chriſtianis ſentire debeant, qui conuicti fuerint maleficij.

οὐ γὰρ τοὺς κατηγοροῦντας κολάζειν ὑμᾶς ἀξιοῦμεν, id eſt. Neque enim vos, vt accuſatores puniatis, rogabimus) Occupatio eſt quædam. Si Chriſtiani accuſentur, nec conuincantur, accuſatores pœna digni ſunt ex legibus. Itaque iudices quętere potuerant quid de illis vellent fieri. Occurrit tacitæ huiuſmodi eorum quæſtioni & interrogationi. Si quæratis à nobis, quid de falſis accuſatoribus Chriſtianorum fieri velimus, non rogamus, vt eos puniatis. Cùm ait, non rogabimus, non impedit, quò minùs de iis ſumatur ſupplicium ex legibus. Aliud eſt enim non rogare, vt aliquis puniatur, aliud obſtare quò minùs ſuum cuique tribuatur. Multis rationibus hoc ſuum cōfirmare potuit, ſicuti aliàs fecit præcepto ſe parêre dicens Chriſti, Diligite inimicos veſtros, & quæ ſequuntur: ſed loco communi qui apud omnes valet plurimum, vti maluit. Satis graues pœnæ ſunt ſua cuique ſcelera rerúmque bonarum ignoratio.

λογίσασθε δ' οὖν ὑπὲρ ὑμῶν ταῦτα ἔφημεν, &c. id eſt. Cogitate verò hæc de vobis à nobis dicta eſſe, &c.) Eſt ὑπὲρ ὑμῶν per υ, ſed per η potiùs ſcribendum videtur, vt pro nobis Chriſtianis intelligamus. Hæc enim pro Chriſtianis veris dixit. Videtur quædam eſſe occupatio. Romani enim quærere poterant. Vos Chriſtiani tanta ſupplicia & aduerſa toleratis, mortémque ad extremum perfertis, tantùm ne nomen Chriſti veſtri negetis. quæ vos ratio impellit, vt ea de cauſa tam grauia ſupplicia perferatis? Occurrit eis hoc loco, primùm quòd Chriſtiani mentientes nolint in vita manere. Deinde quòd permanentes in confeſsione, ſperent ſe vitam æternam cuius cupiditate ducantur, in cælo vnà cum Deo eſſe traducturos.

Πλάτων δὲ ὁμοίως ἔφη, Ῥαδάμανθυν καὶ Μίνω, &c. id eſt. Plato autem eodem modo ſcripſit Rhadamanthum & Minoa, &c.) Hęc Plato cùm multis aliis libris ſcripſit, tum in apologia Socratis. Quoniam apud Gentes Iuſtinus dicebat, noſtræ religionis myſteria & decreta philoſophorum authoritate quæ apud illas plurimum valebat, probare conatus eſt, nec hoc ſolùm loco, ſed quotieſcunque egit cum Gentibus. Non tamen quæcunque dixerunt, probauit, ſed quæ & quatenus præclarè dixerunt. Veluti hoc loco, non Rhadamanti aut Minois iudicium comprobat, nec ſupplicium malorum ad mileſimum annum vt eſt ſcriptum in Timæo, ſed quadam ex parte verum eum attigiſſe confirmat, & quid tenendum ſit docet. Hoc loco à metu iudicij ſuppliciique æterni à falſo iudicio Romanos deterret.

ἀλλ' οὐδὲ θυσίαις πολλαῖς, καὶ πλοκαῖς ἀνθῶν τιμωμένους, &c.) Ex vno verbo duo facienda ſunt additis accentibus, vt error huius loci corrigatur, quem primùm non ſatis animaduerteram. Nam τιμῶμεν οὓς legendum eſt. Itaque ſic legendum eſt in noſtra interpretatione, Sed nec eos hoſtiis multis coroníſque ex floribus contextis colimus, quos homines, &c. Nunc tertium crimen diluit. Chriſtiani enim accuſabantur non ſolùm quòd eos qui dij haberentur, non haberent, ſed etiam quòd ſtatuis & ſimulachris ſacra non facerent. Rem ipſa planè confitetur, ſed iure Chriſtianos ſimulachris ſacra non facere docet, quòd illa inanimata ſint & mortua, nec Dei formam & figuram habeāt. Argumentum ergo tacitè tractat hoc modo. Inanimatis rebus atque mortuis ſacra facienda

cienda non ſunt, nec iis quæ figuram Dei non habent. Simulachra autem inanima ſunt, & mortua, nec Dei habent figuram. Eis igitur ſacra facienda non ſunt. Duo prima vt nota & perſpicua non probat. Tertium illud, Simulachra non habere figuram Dei, probat hoc modo. Non enim eam Deum figuram habere credimus quam nonnulli honoris cauſa imitatos ſe eſſe dicunt. Quanquam hunc locum corruptum eſſe arbitror, legendúmque οὐ γὰρ τοιαῦτα ἡγούμεθα τοῦ θεοῦ ἔχειν τὴν μορφὴν, & cætera, vt ſit ſenſus, Non enim hæc Dei formam habere arbitramur, propterea quòd ſequitur, ſed eorum dæmonum improborum qui apparuerunt & nomina & figuras habere. Hæc igitur ratio hanc complectitur argumentationem, Si his ſimulachris ſacra facienda eſſent, Dei figuram haberent. Dei autem figuram non habent, ſed improborum dæmonum & nomina & figuras. Non igitur eis ſacra facienda ſunt. Aut certè argumentum eſt à contrariis. Simulachra hæc improborum dæmonum habent & nomina & figuras. Non igitur Dei. Dæmonum ea habere figuras & nomina non probat, ſed rurſus Dei non eſſe talem figuram, multis rationibus. Primùm à varia materiæ diſpoſitione, deinde à materia vaſorum inhoneſtorũ ex quibus ſæpe effingantur ſimulachra. Poſtremò ab artificũ libidine & omnibus vitiis quibus contaminati erant. Duo ſuperiora.i. quòd ea quæ ex ea quã dixit materia efficta eſſent Deos homines appellarent, non ſolùm ſtulta & rationi contraria Chriſtianos exiſtimare dicit, ſed etiam in Dei contumeliam fieri, qui cùm habeat gloriam & figuram, quæ exprimi non poſſint, tamen rerum quæ interitent, & egerent procuratione hominũ nominibus appellaretur. Ex tertio autem, cõcludit non ſimpliciter, ſed cum exclamatione eorũ amentiam, qui ea quæ tales homines deos colendi cauſa dicant fingere, & tales fanorum in quibus conſecrantur, conſtituere cuſtodes. Quoniam iure Chriſtianos hæc non ſolùm non facere, ſed etiam deteſtari dicit, æquitatis honeſtíque vtitur locis.

ἀλλ᾽ οὐ δεῖσθαι τῆς παρὰ ἀνθρώπων ὑλικῆς προσφορᾶς προσειλήφαμεν τὸν θεόν, id eſt, Nos autẽ ſumpſimus Deum oblationis quæ ex materia conſtet, quam homines dent, non indigere, &c.) προσφορὰν oblationem dico, cum Eccleſiaſticis, ſacrum, vel ſacrificium dici poteſt, τῆς παρὰ ἀνθρώπων dico, quam homines dent, aliàs fortaſsis aptiùs dicatur, quæ ab hominibus proficiſcatur, vel fiat. Quod ait ſe ſumpſiſſe, id eſt, in aſſumptione ſiue minore propoſitione poſuiſſe, Deum ſacrorum ſiue donariorum quæ ex materia cõſtent, indigere, quoniã tum, id eſt, paulò antè nõ probauit, eiúſque probatio ad vnius veríque Dei confirmandam & naturam & gloriam & perfectionem plurimnm valet, eam prętermittendam nõ putauit. Probat porrò hoc ipſum hoc cõmuni loco, Quod ſe ipſo contentum eſt, omniáque præbet, & ſuppeditat, id nullo egere. In quo exponendo & docendo longam illam quidem, ſed vtilem ſalutarémque ponit orationem. Diſſerit enim de mundi quam Deus procurauerit, molitione, de ſeminibus virtutum quæ nobis inſeuerit, de regno æterno, quod homines ij demum cõſequuturi ſint, qui ſemina illa virtutum ſinẽt adoleſcere, vt ea quæ Deo probantur, efficiant. Ita docet Deum non ſolùm nobis dixiſſe ea bona quæ externa dicuntur, ſed etiam ſtatum noſtrum cũ non eſſemus, & animi bona, id eſt, virtutũ ſemina. Hoc etiã loco duo aſſerit, quæ neſcio qui homines negant, & libero arbitrio nos eſſe præditos, & operibus Deo placere, id eſt, nos poſſe operibus noſtris, dignos eius cõſilio reddere: quòd ſi faciamus, vnà cũ eo ſemper futuros. Quod autem ait, Deum donariis quæ ex materia conſtent, non egere, eo ipſo non negat, nec repudiat eas, vt ita dicam, oblationes, quas Chriſtiani ad hæc vſque tempora Deo offerunt: ſed tantùm falſam Gentium opinionẽ refellit, qui donaria diis ſuis conſecrabãt, quòd illos eorum indigere exiſtimarent, quaſi Deum ex eo eiſdem egere vellent intelligi, & aliis perſuaderi. Quod à differẽtibus doceri poteſt. Illi enim iis quos deos habebant, donaria illa conſecrabãt, quòd eos talibus rebus egere arbitrarentur: nos Deo donaria conſecramus, non quòd iis eum egere putemus, ſed vt exteriore ſacrificio, interius animi noſtri ſacrificiũ offerre declaremus. Cùm igitur veterum aut aliorum quorum multum valeat authoritas, libros legimus, non eum animum afferre ad legendum debemus, quem plerique qui & ſe & alios, quantum in ipſis eſt, perditum eunt, afferre ſolent, vt ſi quid ad confirmandam ſententiam no-

ſtram quæ falſa ſit, quòd ab Eccleſiæ opinione diſcrepet, valere videntur, ſine delectu, nullóque adhibito iudicio ſtatim arripiamus, & mordicus teneamus: ſed conſyderare debemus diligentérque videre, quorſum ea illi ſcripſerunt. Quæ quoniã generalis cautio eſt, ea etiam adhibita, ea quæ paulò antè Iuſtinus contra ſimulachra eorúmque venerationem dixit, non ad Chriſti Sanctorúmque imagines transferre debemus. Is enim Gentium morem illum propterea damnauit, & improbauit, quòd ſimulachra Deos uocarent.

ὅπερ γὰρ οὐκ ἐδυνήθησαν οἱ ἀνθρώπειοι νόμοι, &c. ἅπερ legendum eſt, quòd ταῦτα ſequitur, vel certè τοῦτο. In eadem circumſcriptione, ὁ λόγος θεῖος αὐ εἰργάσατο legendum videtur, quòd εἰ μὴ ſequatur. In proxima quoque γιγνώσκοντας in accuſandi caſu legendum eſt, quòd χριστιανοὺς accuſandi caſus nomen anteceſsit.

ἀναιρουμένων οὐ πεφροντίκαμεν, id eſt, cùm necamur, negligimus. Aptiùs erit, eos qui nos interficiunt, non curamus.

οἱ ταῦτα δοξάζομεν, ὡς λαθεῖν θεὸν, &c.) pro ὡς τὸ legendum videtur, quòd ἀδύνατον εἶναι ſequatur.

εἰ ἔμαθον καὶ ἐπείσθησαν θεὸν ἀδύνατον εἶναι λαθεῖν τι.) Ante hæc verba aliquid deſſe videtur. Neque enim cohærent cum ſuperioribus: aut certè traiecta ſunt ex illo loco, εἰ γὰρ οἱ πάντες ἄνθρωποι ταῦτα ἐγίνωσκον, & ſtatim legenda poſt hæc ipſa, καὶ εἰ ἔμαθον καὶ ἐπείσθησαν θεὸν ἀδύνατον εἶναι λαθεῖν τι, & quæ ſequuntur vſque ad hæc verba, κόσμιοι ἦσαν. Non eſt autem dubium quin ibidem legendum ſit, ὡς καὶ ὑμεῖς συμφήσετε per υ in nominandi caſu, aut ἡμῖν per η in dandi. Totus ergo hic locus magna ex parte, corruptus eſt, & mea quidem ſententia ita, vt dixi, corrigi rectè poteſt.

πεπείσμεθα δ᾽ ἐκ δαιμόνων φαύλων, &c. id eſt. Quæ quidem etiam à malis geniis, &c.) Quoniam dixerat, quæ facerent, id eſt, quòd timerent, ne omnes bene viuerent, & alia non eſſe bonorum principum: nunc ad authores mali culpam transfert, non ad illos, ne vehementiùs eorum animos offenderet, & quò faciliùs eis quod volebat perſuaderet. Itaque eorum conciliat animos, cùm eos qui & religionis & philoſophiæ cupiditate ducantur quicquam ratione contrarium & inconſyderatè feciſſe Chriſtianos exiſtimaſſe negat. Sed tamen vt liberam contumaciam, ac fiduciam animi retinere eos oſtendat, per licentiam non recuſat, quo minùs, ſi eodem modo quo inſani ac ſtulti ſolent, non veritatem opinioni, quod eſt philoſopborum, ſed opinionem veritati anteponãt, quod poſſunt faciant. Neque enim plus poſſe eiuſmodi principes, quàm latrones in ſolitudine.

ὅτι δ᾽ οὐ καλλιερήσετε, ὁ λόγος ἀποδείκνυσι, id eſt, Vos porrò non rectè litaturos, ratio declarat,) Hæc mihi verba traiecta, vel addita videntur. Neque enim cum ſuperioribus cohærent, nec cum proximè ſequentibus, niſi fortè ad latronum exemplum referenda ſunt. Dixerat principes qui veritati opinionem in conſtituendis pœnis, ſumendiſque ſupplicijs anteponerent, tantùm poſſe, quantùm latrones in ſolitudine, id eſt, poſſe interficere: quo loco Romani illi occurrere potuiſſent. Non ſe eos interficere, ſed diis immolare: quam eorum obiectionem videtur diluere, cùm eos non litaturos eſſe rationem declarare dicit. καλλιερεῖν eſt litare, immolare, ſacrum facere.

οὐ βασιλικώτατον, &c.) οὐ, negatio hic redũdat. Itaq; ſic legendũ arbitror, βασιλικώτατον δὲ &c.) niſi duplex negatio. οὐ, retinenda eſt more Græcorũ. De Ieſu Chriſto ingreditur dicere quem ſecundum Deum patrem, digniſsimum æquiſsimúmque principẽ eſſe dicit ſcire Chriſtianos, qui quoniam ſit ὁ λόγος & vetet ea quæ rationi aduerſantur, Chriſtianos etiam ea nolle facere: potiúſque malle omnia ſupplicia perferre, more omnium, qui patrum mala, & dedecora perpeti ſolent, ne quid turpiter aut flagitioſe faciant. Leuitatem ſuppliciorum quodam modo oſtendit, dum ea à Chriſto prædicta eſſe docet his verbis, γενέσθαι δὲ ταῦτα πάντα προεῖπε, &c. id eſt. Hæc omnia fore prædixit. Fiunt enim prouiſa omnia leuiora. Atque etiam ex eo Chriſtum Deum eſſe demonſtrat.

Ἡμῖν μὲν οὖν ἤδη τούτοις παυσαμένους, &c. Atque in his quidem facto fine dicendi, &c.) Concluſio eſt quæ vim habet tranſitionis, qua conciliat iudicum animos à ſua perſona.

ἄθεοι μὲν ὅτι ὡς οὐκ ἐσμὲν,&c.Nos quidem non eſſe Atheos,&c.) Hoc crimen iam ſuprà diluit duobus modis. Dixit enim Chriſtianos eſſe ſine diis falſis,id eſt,diis qui habebãtur carere, eóſque nõ colere, nec eorũ ſimulachra: non tamen carere vero Deo,Patre, filio & Spiritu ſancto, quem verè adorarent atque venerarentur. Poſterius hoc tractat fuſiùs ac pluribus,vt ſacra Chriſtianorũ à Gentium ſacris differre doceat, nec differre modò,ſed eis etiã præſtare,id eſt,Gentes beſtias immolabãt & libabãt:Chriſtiani neutrum faciunt.Gentes quæ immolabant vel offerebant,omnia incendebant:Chriſtiani quæ Deo conſecrant, & ad viuendum pertinent, & ſibi ſumunt & aliis impertiuntur. Deinde in ſacris Deo gratias agunt, quòd ſe condidit, quòd omnia ſuppeditet: eum precãtur,vt gubernet temporum mutationes quatuor, vt ſibi det vitam ſempiternam. Non igitur ſimplex criminis refutatio & dilutio eſt,ſed Dei veri cũ diis falſis,ſacri veri cum falſis ſacris,precum cum precibus comparatio. Longus eſt hic verborum ambitus,eiúſque ſententia ſic explicãda eſt,τίς μὲν ὅτι σωφρονῶν οὐχ ὁμολογήσει,ὡς οὐκ ἐσμὲν ἄθεοι, &c.Quis ergo mentis ſuæ homo non ſatebitur,nos non eſſe Atheos,&c.

ἐνταῦθα γὰρ μανίαν ἡμῶν καταφαίνονται,&c.id eſt.Hic enim inſaniam noſtram & amentiam patefaciunt,&c.) Gentes,id eſt abhorrentes à religione noſtra homines,itémque Iudæi hoc ipſo Chriſtianos amentes dicebãt,quòd ſecundum locum diuinitatis & venerationis homini qui cruci ſuffixus eſſet, tribuerent. Hoc diluit crimen Iuſtinus eodem modo quo B. Paulus in priore ad Corinthios epiſtola. Quod etiam ait Iuſtinus, hoc illos dicere, quòd myſterium ſanctæ crucis ignorarent: id Paulus myſterium exponit his verbis, Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalui fiunt,id eſt nobis, Dei virtus eſt. Et paulò infrà, ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu qui factus eſt nobis ſapientia à Deo & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Hoc poſtremum redemptionis verbum, liberationem à captiuitate diaboli ſignificat, cùm ſeipſum Chriſtus pretium pro nobis dedit. Hoc loco Iuſtinus Romanos hortatur, vt hoc myſterium quod nam ſit,ipſi ſe explanante intelligant: quod dum explanat,non aliud exponit,niſi diaboli ſeruitutem & captiuitatem, qua antè quàm Chriſto nomen Chriſtiani à Gentibus orti dediſſent,oppreſsi,ſcelera quæ enumerat, committerent, ab ea autem Chriſti morte liberati, virtutes vitiis ſuperioribus contrarias colerent atque ſequerentur. Deſcribit hic primorum illorum religionis noſtræ hominum & antè quàm in Chriſti fidem ſe recepiſſent, ingratam Deo & fœdam vitam, & poſteà quàm ſe receperunt, gratam atque honeſtam, ex contrario. Quoniam autem hanc orationem non ſolùm eò dixit, vt Chriſtianos defenderet, ſed vt principibus Romanis conſuleret, quemadmodum aliis in locis quotieſcunque id commodè ſe facere poſſe videt,ſic in hoc illos hortatur & monet,ne ſe à dæmonibus decipi ſinant, & abduci ab eo,ne ea quæ dicuntur, intelligant:quod multum valet ad animorum conciliationem. Atque hac commutationis vitæ in Chriſtianis commemoratione mihi etiam videtur eorundem animos præcolere & præparare, vt Chriſti quæ paulò pòſt profert, decreta atque præcepta libenter audire velint. Niſi enim hoc modo præculti & præparati ea audiuiſſent, vt rem inuidioſam repudiaſſent, nec ſuſtinuiſſent audire.

ἵνα δὲ μὴ σοφίζεσθαι ὑμᾶς δόξωμεν,&c.id eſt.Sed ne vos capere & decipere videamur,&c. Eſt occupatio,qua libẽter vtitur, vt eò quò maximè vult hac quaſi ſpecie tutò perueniat,id eſt, ad Chriſti pręceptorum expoſitionẽ. Hoc autem mihi docere velle videtur hac occupatione. Expoſuit nouum Chriſtianorum viuendi genus, mutato ſuperiore quod omnino fuit contrarium. Ne igitur principes aliter eos viuere atque iactarent, dicerent,atque decipiendi animo illos ita ſe viuere dicere putarẽt: nunc vt illi eorum opinioni vel ſuſpicioni occurrat,Chriſtum quem magiſtrum habuiſſent,ita præcepiſſe vt viuerent,docet.Quod ad perſuadendum valet plurimum. Eſt enim natura tributum quemadmodum liberis vt parentum,ſic diſcipulis vt præceptorum præceptis pareant,quo ex communi loco huius loci confirmatio & probatio ſumitur.

ὃς ἂν ἐμβλέψῃ γυναικὶ,&c.id eſt, Qui mulierem, &c.) Hæc Chriſtus apud Matthæum, 10.cap.ſed aliis verbis.Eſt enim,πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα. Alia diſsimilitudo eſt apud Mat-

rhęum, hæc, ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. Eſt enim apud Iuſtinũ ſcriptum, ἐμοίχευσε τῇ καρδίᾳ παρὰ τῷ θεῷ Eodem modo iudicandum eſt de cæteris ferè omnibus, quæ ex euangeliis duabus paginis Iuſtinus profert. Videtur enim ſententiam ſpectare, quàm verba ipſa proferre maluiſſe. Quod eò commemorandum cenſui, ne quis officium meum hòc loco requireret. Si enim ex exemplarium diſsimilitudine ac diſcrepantia diſsimilitudines verborum mihi natæ viderentur, illas oſtenderem. Hoc autem intelligendum eſt, ſæpe in Iuſtiniano exemplari verba traiecta reperiri, interdum mutata, nonnunquam addita, aliquando etiam dempta. Veluti exempli cauſa eo in loco quē paulò infrà ex Matthæi 5. cap. profert, εὔχεσθε, non eſt apud Matthæum principium hoc, εὔχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν ὑμῶν, ſed ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, nec ſecundum membrum, καὶ ἀγαπᾶτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς: ſed eadem manente ſententia aliis verbis, id quod primo loco dixi ex Matthæo ei reſpondet. Quod eſt tertium apud Iuſtinum hoc, καὶ εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμῶν. i. apud Matthęum ſecũdum, & apud Lucam tertium. Quod eſt quartũ apud Iuſtinum, εὔχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, eſt iiſdē verbis apud vtrũque ſcriptũ, niſi ꝙ primũ verbũ eſt, προσεύχεσθε. Ex quibus intelligi poteſt, id quod primũ eſt apud Iuſtinũ, vel ab eo lectum eſſe in exēplari quod habuit, vel ab eo vel à librario additũ. Atque hoc quidē exēpli cauſa protuli. Si quis autē cætera exquirere velit, & vtraque inter ſe cõferre, eaſdem aut etiam maiores inueniet diſsimilitudines. Hoc etiam notandum eſt, ea Chriſti præcepta quę hoc loco Iuſtinus cõmemorat ab illo ad certa capita reuocari, nõ ſolùm vt fructum ex illis capere Romani poſſent, ſed etiam ne illorũ inanis ac futilis quædam videretur confuſio. Neque verò quicquid ad caput vnũ refert, id ita deinceps perpetua oratione apud quemuis eorum qui euangelia ſcripſerũt, exponitur, vt idem commemorat: ſed nunc ex vno, nunc ex multis, atque id diuerſis ex locis ab eo proferuntur. In præceptis verò enumerandis id poſtremo loco oratorum more commemorat, quod plurimum pollet ad faciendam fidē, nempe id quod ad tributorum penſionem pertinet: ex quo quidem occaſionem arripit dicēdi de Chriſtianorum in principes fide, de more pro illis precādi. Hinc quaſi munita via ad animorum immortalitatem reſurrectionémque corporum probandam venit. Animorum immortalitatem probat ab hoc loco, ἐκβλέψατε γὰρ πρὸς τὸ τέλος. Ab incommodo primùm eam probat. Si animi ſine ſenſu remanerent, bono eſſet ſceleſtis hominibus: Quoniam autem omnibus qui fuerunt ſenſus manet, pœna etiam æterna propoſita eſt malis. Deinde ab iis exemplis quæ ipſi probatent. Animorum enim immortalitatem declarare dicit & mortuorum diuinationem, & puerorum incorruptorum viſa, & animorum hominum reuocationes, & cætera alia quę enumerat, non quòd ea probet, ſed quod ex iis quę aduerſarij probent, etiam ſi falſa ſint, licet interdũ id quod verũ eſſe negant concludere. Itaque ſibi æquè atque illis credi oportere dicit, qui nõ minùs quàm illi Deo credunt, ſed firmiùs. Argumentum hoc ſumitur partim ab oraculis, partim ab eis quæ ſapientes tradiderunt, partim ab euentis. Ab animorum immortalitate ad ſecundum corporum ortum, id eſt, ad reſurrectionem eius delabitur oratio. Eam à ſimili probat, quod hoc loco in primis firmum eſt argumentum. Gentes hoc ipſo negabant fieri poſſe, vti corpora, & homines cum corporibus excitarentur, quòd cùm omnia in ea occidāt, ex quibus orta ſint, fieri poſſe nõ crederēt, vt ex pulueribus in quos recidiſſent, rurſus orirentur. Horum tam ſtultam leuémque opinionem ex ſimili refellit hoc modo. Quemadmodum in corporibus non eſſemus, id eſt, ſi fingamus nos nunquā coniunctos cum corporibus fuiſſe, atque aliquis diceret nobis qui non eſſemus tales, nec ex talibus partibus conſtaremus, ex parua gutta ſeminis tales nos atque tam magnos futuros eſſe quales & quàm magnos videmus, incredibile nobis videretur, & tamē id quod verum eſſet cernimus, diceret: ſic ergo nunc cùm hominum corpora in terrram ac cineres reciderint, ſi quis ex cineribus dicat aliquando eadem corpora rurſus oriri, eum dicere quod credibile ſit, putare debetis.

καὶ κατανοοῦντι ἀπιστότερον ἂν μᾶλλον δόξαι, &c. Mihi ἢ videtur redundare in his verbis, ἢ εἰ ἐν σώματι μὴ ὑπήρχομεν, Senſus enim eſt, Atque ei qui rem conſyderet, incredibiliùs videatur, ſi in corpore non ſimus, & aliquis, &c. Intelligitur enim in hoc cõparatiuo incredi-

credibilius, quàm quod de reſurrectione dicimus. Eſt etiam ἐκ præpoſitio addenda vt hoc modo legamus paulò infra, εἴ τις ὑμῶν μὴ ὦσι τοιούτοις μηδὲ ἐκ τοιούτων.

Σίβυλλα δὲ καὶ ὑστάσπης, γενήσεσθαι τῶν φθαρτῶν ἀνάλωσιν διὰ πυρὸς ἔφασκον, id eſt. Quin etiam Sibylla & Hyſtaſpes eorum quæ intereunt conſumptionem per ignem futurum eſſe prædixerunt.) Sibyllarum carmina Baſileæ ab Oporino, vt alio loco dixi, excuſa ſunt. Tertio libro extremo loquens de iis quæ iudicij diem antecedēt, hæc ait.

-ῥεύσει δὲ πυρὸς μαλερῷ καταράκτης
ἀκάματος. φλέξει δὲ γαῖαν, φλέξει δὲ θάλασσαν.
καὶ πόλον οὐράνιον, καὶ ἤματα, καὶ κτίσιν αὐτὴν
εἰς ἓν χωνεύσει, καὶ εἰς καθαρὸν διαλέξει, id eſt.

-Ignis rapidi cælo vis decidet ingens,
Quæ indefeſſa ſolum abſumet, cælúmque diéſque
Et mare veliuolum, & molam conflabit in vnam
Purgabítque, tenet rerum nunc machina quicquid.

Atque Sibylla quidem his verſibus, id quod eam Iuſtinus ait dicere, deflagrationem mundi prædixit. Hyſtaſpes autem prædixit ille quidem (neque enim Iuſtinus diceret) ſed eius vaticinationes quod ſciam, non extant. De illius etiam vaticinationibus Lactantius mentionem facit ſeptimo libro his verbis, Hyſtaſpes quoque qui fuit Medorum rex antiquiſsimus à quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hyſtaſpes dicitur, admirabilis omnium, ſub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit ſublatum iri ex vrbe imperium noménque Romanum, multò antè præfatus, quàm illa Troiana gens conderetur. Xerxis filius tertius hic à Diodoro commemoratur libro vndecimo, primus Darius, quo poſt patris mortem interfecto Artaxerxes ſecundus regno potitus ſit. ὑστάσπης per η in vltima ſyllaba ſcriptum apud cæteros inuenio. Itaque vitioſè per ι ſcriptum arbitror.

εἰ οὖν καὶ ὁμοίως τινὰ τοῖς παρ' ὑμῖν τιμωμένοις ποιηταῖς καὶ φιλοσόφοις λέγομεν, &c. id eſt. Quòd ſi quædam eodem modo quin poëtæ ac philoſophi, qui apud vos in honore ſunt ac gloria, dicimus, &c.) Principium eſt refutationis criminum, quæ Chriſtianis obiiciebantur propter diſciplinam atque doctrinam. Quæ enim adhuc diluit, magis ad vitam & mores pertinebant. Hæc autem diluit poëtarū & philoſophorum qui apud illos in nomine eſſent & gloria, qui eadem dicerent & traderent de diis eorum, quæ Chriſtiani de Chriſto, auctoritate: quod quidem argumenti genus in primis firmum videri ſolet. Eſt autem ex ſimilitudine. A toto genere & rerum, & auctorum, ad partes veniens, quod cuiuſque proprium eſt, ei accommodat: in quo inductio dominatur & diſtributio. Argumenti tractatio talis eſt. Quemadmodum Plato mundum à Deo effectum eſſe tradit, nec ob eam rem odio dignus iudicatur: ſic nos qui idem tradimus & profitemur, nullo odio ob hanc cauſam digni exiſtimandi ſumus. Quæ hoc loco de Ioue eiúſque liberis dicit, ea ab Homero dicta magna ex parte in oratione parænetica prolatis verſibus commemorat: cætera apud eundem inuenies, & apud Diodorum omnia.

ἵνα δὲ ἤδη καὶ τοῦτο φανερὸν ὑμῖν γένηται, &c.) Ambitus hic orationis longiſsimus eſt ob eámque cauſam adeò ſuſpenſum lectoris animum tenet, vt cùm ſæpe eum legerit, ne tum quidem vbi acquieſcere debeat, intelligere poſsit. Mihi quidem primum membrum vſque ad hæc verba, οὐδὲ ἀπόδειξίς ἐστι, pertinere videtur, atq; hęc ſola, τούτων ἔλεγχον ποιησόμεθα, eſſe mēbri ſecūdi. quanquam τούτων in patrin caſu numero multitudinis aptiùs fortaſsis legetur, vt τούτων ſuperiora omnia demonſtret. Nam ὧν, in hoc toto, ὧν οὐδὲ μάρτυς, fortaſsis τὰ δύσφημα & quæ ſequuntur, refert, vt ſit ſententia, dæmonas ſparſiſſe de Chriſtianis facinora impia & flagitioſa, quorum nemo ſit teſtis, nulláque probatio.

πρῶτον μὲν ὅτι, &c. id eſt. primum quòd, &c.) Hoc loco tribus rationibus quæ ab his aduerbiis, πρῶτον, δεύτερον, & τρίτον incipiunt, crimen diluit quod de veneratione atque diſciplina obiiciebatur Chriſtianis. Duæ ab authoritate ſumuntur, prior à toto Gentium genere, ſiue Græcorum, poſterior ab antiquorum omnium nationum conſuetudine: ſimilia iis quæ Gentes ſiue Græci dicunt dicimus & profitemur, & tamen in

odium hominum incurrimus non illi, & qui nullum ſcelus admittimus, morte mulctamur, cum plerique mures, feles, crocodilos aliáque alibi venerantes, non morte mulctentur. In altera ratione hæc ineſt argumentatio. Veteres ex omni hominum genere, homines pro diis coluerunt, alij Dionyſium, alij Apollinem quorum flagitia in amoribus etiam dictu turpia ſunt: alij Proſerpinam & Venerem, quæ Adonidem perditè amauerunt: nos colimus Deum, qui talis non fuit, eíque nos conſecrauimus. Tertia ratio non à veterum authoritate ſumitur, neque à Græcorum Gentiúmque diſciplina, ſed à noua quam probabant, religione. Vos Simonem quendam Deum ſe eſſe profitentem, Deum iudicauiſtis Claudio imperante, ſtatuæque honore affeciſtis: nos Chriſtum Deum eſſe dicimus, eúmque veneramur, neque nobis fidem habetis, ſed eius nomine nos & exagitatis & morte mulctatis, cùm interim illos his omnibus dignos eſſe non iudicetis. Ab exemplis ergo ea diluuntur quæ criminoſa eſſe volebant in Chriſtianos, quorum partim minora ſunt, partim paria.
Σίμωνα μὲν τινα Σαμαρέα, &c.) Vicum cum cuius Simo erat is qui Magus dictus eſt, Γίτων Iuſtinus nominat. Cęteri Githonem vocant. Itaque errorem hic eſſe in verbo arbitror. De Simonis & Menandri diſciplina ſiue ſecta plura Irenæus & Tertullianus ſcribunt, & poſt illos etiam plura Epiphanius.
Ἔστι δὲ ἡμῖν καὶ σύνταγμα, &c. id eſt. Eſt porro à nobis etiam, &c.) Liber quem in omnes hæreſes Iuſtinus ſe ſcripſiſſe dicit, non extat.
Ἡμεῖς δὲ ἵνα μηδένα διώκωμεν, &c. id eſt. Nos verò vt neminem perſequamur, &c.) διώκειν perſequi interdum dico cum Eccleſiaſticis, quòd tritum eſt iam longo vſu hac in re vocabulum. Latinè autem qui loqui volet, exagitare, & exagitari dicet cum Cicerone, Aemylio etiam Probo interprete. In Iuſtiniano codice ſcriptum eſt, ἐκτιθέναι τὰ γεννώμενα, cum gemino νν & ω à verbo γεννάομαι, quod ſignificat, gigni, generari & procreari. Atque haud ſcio, an τὰ γεγενημένα, id eſt, quæ facta ſunt, legendum ſit. Magna hoc loco fiducia in principes dicit Iuſtinus, quòd ad libidinem greges puerorum & eorum qui vtrumque ſexum ementiebantur, ali paterentur, & tamen flagitia iſta Chriſtianis obiicerent.
Εἰ δέ τις ἀπιστεῖ μέλειν τούτων πρὸς τῷ θεῷ, &c. Quòd ſi quis hæc Deum curare non credit, &c.) In priore defenſione iiſdem prorſus incommodis vrget eos qui fato fieri dicunt omnia. Hoc autem loco eadem profert contra eos, qui Deum nec malos pœnis coërcere, nec præmiis afficere bonos, velint defendere. Eadem enim illos incommoda ſequuntur.
Καὶ πάλιν μὴ τῶν ἐκτεθέντων τις, &c. id eſt. Iam verò ne quis eorum qui expoſiti erãt, &c.) μὴ ſecundo loco redundat, & ἀλλὰ paulò pòſt. Hoc loco diluit crimen quod Chriſtianis de obſcœno concubitu obiiciebatur, primùm ab antecedentibus, deinde à conſequentibus, ab exemplo adoleſcentis qui rogauit præfectum vt ſibi teſtes liceret præcidere
Οὐκ ἄτοπον δὲ ἐπιμνησθῆναι, &c. id eſt. Nec verò alienum eſſe duximus, &c.) Antinous hic ſeruus ſiue puer fuit, quem libidinis cauſa Adrianus imperator cùm haberet, adeò cæcum illum libido effecit, vt eum publicè in Græcia, cùm in mari periiſſet, pro Deo coli iuſſerit. Quæ talis eius amentia vtinam multos hodie corrigere poſſet & ad meliorem mentem traducere.
Ὅπως δὲ μή τις ἀντιθῇ ἡμῖν, &c. id eſt. Verùm ne quis nobis obiiciat, &c.) Occupatio eſt, quam quæſiuit. Multa Chriſti præcepta & decreta atque etiam opera paulò antè protulit, cùm illum Dei filium, diuinámque vim eſſe dixiſſet. Multos etiam commemorauit, vt Simonem, & Menandrum, eóſque magicis artibus quæ & fecerint, & docuerint, feciſſe docuiſſéque dixit. Nunc ne Romani à Chriſto ea omnia mira inauditáque opera quæ ediderit, magicis etiam artibus perfecta dicant, eis occurrit. A diuinis oraculis, id eſt, teſtimoniis ſcriptorum diuinorum, docet, Chriſti ortum ex virgine prædictum eſſe vatum diuinorum vaticinationibus, & eius mira opera, paſsionem, reſurrectionem, & aſcenſum, cùm eadem probauerit paulò antè ab iis quæ Iouis liberis euenerint poëtarum qui apud Gentes eſſent in nomine, auctoritate.

ὅτι δὲ Πτολεμαῖος,&c.id eſt. Cùm autem Ptolemæus,&c.) De ſeptuaginta interpretatione quid veteres ſenſerint,in obſeruationibus quas in orationē Parænetican ſcripſimus,multa à nobis dicta ſunt. Eas enim ante has ſcripſimus. Hoc autem intelligendū eſt,ſi temporum quibus & Ptolemæus Lagi filius, Aegyptiis regali poteſtate præfuit, & Herodes Iudæis, rationem habeamus, nos comperturos falſum eſſe, quod ait Iuſtinus,Ptolemæum ad Herodē qui tum Iudæis regia poteſtate præeſſet, ſcripſiſſe, eúmq; rogaſſe vt libros veteris teſtamenti Hebraicis literis ſcriptos mitteret. Hoc enim fecit Ptolemæus de conſilio Demetrij Phalerei Theophraſti diſcipuli,cuius ætas multò ſuperior,quàm Herodis fuit. Itaque aut nominis errore lapſus eſt Iuſtinus, quemadmodum paulò pòſt tertia ferè pagina fecit in Sophoniæ prophetæ nomine, quo pro Zachariæ abuſus eſt,attribuens illi hæc verba, Gaude valde filia Sion, & quæ ſequuntur: & in Demodoci nomine,quo etiam pro Phemij in libro de Monarchia abuſus eſt: aut certe Herodis nomen pro alio à librariis poſitum eſſe dicendum eſt,præſertim cùm Iuſtinus ipſe in Parænetica oratione ex Philone & Ioſepho hiſtoriam hanc narrauerit.

ὅπως δὲ μή τινες ἐκ τῶν προλελεγμένων,&c.id eſt. Sed ne quis iis quæ à me antè commemorata ſunt,&c.) Occupatio & oblata & quæſita, oblata, ne ea quæ adhuc ex prophetis de Chriſto prædicentibus Iuſtinus commemorauit,cùm eueniſſent,vt illi prædixiſſent,fati neceſsitatem confirmare viderentur etiā in aliis quæ fiunt: quæſita porrò vt nos iudicij noſtri ac poteſtatis,ſiue liberi arbitrij eſſe demonſtret. Docet autem non fati neceſsitate fieri quæ fiant,ab incommodis quæ ſequuntur eos qui hoc defendant. Argumentationem autem tractat hoc modo, Si fati neceſsitate fierent quæcunq; fiūt, nihil eſt omnino ſitum in nobis. Sed aliquid ſitum eſt in ipſis nobis. Nō igitur fati neceſsitate fiunt quæcunque fiunt. Primum connexū probat à cōſequentibus hoc modo, Si in fatis fuit, hunc bonum eſſe, & illum improbum, neque ille probandus, neque hic vituperandus eſt. Conſequentia enim ſunt liberi arbitrij laus & vituperatio, quo ſublato, iam non ſunt eius conſequentia. Sumptionem autem illam, Sed aliquid ſitum eſt in ipſis nobis, ſiue nos libera voluntate atq; iudicio rectè & improbè facere, probat à conſequentibus. Videmus eundem hominem ad contraria reuerti. At ſi in fatis ei fuiſſet, ipſum bonum eſſe aut malum, nunquam contraria recipere poſſet. Fati enim definitio neceſsitatem immutabilem in ſe complectitur. Aliis etiam rationibus ab incommodis idem concludit.

ἐδίδαξε δὲ ἡμᾶς ταῦτα τὸ ἅγιον προφητικὸν πνεῦμα διὰ Μωσέως, φῆσαν ὡς πρώτῳ πλασθέντι ἀνθρώπῳ,&c.id eſt. Hoc autem propheticus ſpiritus per Moſem docuit, qui ei homini qui primus conditus & factus eſt,&c.) Non Moſes hoc ſcripſit, ſed Ieſus Sirach filius in libro qui inſcriptus eſt, Eccleſiaſticus, 15. cap. quanquā aliis verbis expreſſa ſunt.

ὥστε καὶ Πλάτων εἰπών, αἰτία ἑλομένου, θεὸς δ' ἀναίτιος, &c.id eſt. Quamobrem quod ait Plato, cauſa eſt id quod probatum & electum eſt, Deus autem extra cauſam culpámq; eſt poſitus, &c.) Locus hic poſitus eſt in Timæo Platonis, ſed aliis verbis explicatus. Verba Platonis hæc ſunt, διαθεσμοθετήσας δὲ πάντα αὐτοῖς ταῦτα ἵνα τῆς ἔπειτα εἴη κακίας αὐτῶν ἀναίτιος, ἔσπειρε τοὺς μὲν εἰς ἥλιον, & quæ ſequuntur. Itaque nominandi caſu, τὸ ἑλόμενον legendum arbitror, id quod paulò antè multis verbis Plato dicit. Ait enim eum qui rectè & honeſtè curriculum uiuendi à natura datum cōfecerit, ad illud aſtrum quo cum aptus fuerit, reuerſurum. Paulò etiam ſuprà loquens de animi motibus, dicit hęc, Quos qui ratione rexerit, iuſtè vixerit: qui autem his ſe dederit, iniuſtè. Atqui in horum approbatione & declinatione iudicium & liberum arbitrium cernitur.

ὥστε ὃ φαμὲν προφητεύεσθαι τὰ μέλλοντα γίνεσθαι,&c.) Locus hic obſcurus eſt ab his verbis, καὶ δόγματος ὄντος. Ego τοῦ αὐτοῦ, ſcilicet θεοῦ poſt verba duo quæ modò protuli, legendum arbitror.

τούτων οὖν τῶν προφητικῶν λόγων ἀκούσαντες οἱ δαίμονες,&c. id eſt. Hæc igitur prophetarū verba cùm audiuiſſent dæmones, &c.) Prolatis tam multis ex prophetarum libris teſtimoniis, quibus multò antè in mundum venturum Dei filium, ex virgine naſciturū, mortem perpeſſurum, excitatum iri ab inferis, & in cælum rediturum eſſe prædixerunt, vt non Magicis artibus hæc ab eo facta Romani intelligerent: nunc docet dæmo

nas, cùm hæc in libris prophetarum legiſſent, imitatos ſimilia perfeciſſe per homines improbos. Hoc enim docere vult Iuſtinus, quicquid veteres ſiue bene dixerint ac fecerint, ſiue ſpecie quadam boni, id à noſtris eſſe mutuatos.

οὐ γὰρ ἀδοκήτου μὲν θάνατον, τοῦ πάντως ἀποθανεῖν ὁμολογουμένου, &c. id eſt. Neque enim mortem timemus, cùm mors planè certa & definita ſit, &c. Obſcurus eſt locus hic in Græco propter patrios caſus qui abſoluti vocantur. Dubium eſt etiam vtrum participium ad hos patrios caſus, καὶ μηδενὸς ἄλλου καινοῦ referendum ſit, vtrum ὁμολογουμένου, an ὄντων Fortaſsis etiam κοινοῦ aptiùs quam καινοῦ legetur. Reddit quoque obſcuram ſententiam patriũs caſus hic, τῶν αὐτῶν.

ἐχίασεν αὐτὴν ἐν τῷ παντί, &c. id eſt. In mundo eum χ literæ inſtar poſuit, &c.) Non vſus eſt his verbis Plato in Timæo. Verba Platonis hæc ſunt, οἷον χ προσβαλὼν, κατέκαμψεν εἰς κύκλον, &c. χιάζειν enim Plato non dixit, ſed οἷον χ προσβάλλειν, quod Cicero decuſſare dixit, vt in libro de optimo genere interpretandi docui. Ego hoc loco quò rem magis exprimerem, χ literæ inſtar poſuit, dixi.

τὰ δὲ τρίτα περὶ τὸν τρίτον, id eſt. Tertia autem tertio.) In Timæo hæc aliis verbis Plato, & ad proportiones cælorum accommodauit. nec τρίτα dicit nec τρίτον, ſed τριπλᾶ.

παρ' ἡμῖν οὖν ἔστι ταῦτα ἀκοῦσαι καὶ μαθεῖν, &c.) In hac circumſcriptione verba hæc, καὶ πηρῶν, καὶ χήρων τινῶν τὰς ὄψεις, traiectà ſunt. Itaque corrigi & reſtitui debent hoc modo, ἰδιωτῶν μὲν καὶ βαρβάρων τὸ φθέγμα, καὶ πηρῶν καὶ χήρων τινῶν τὰς ὄψεις, σοφῶν δὲ καὶ πιστῶν τὸν νοῦν ὄντων, ὡς συνεῖναι ἐν σοφίᾳ, & quæ ſequuntur.

ὅσοι ἂν πεισθῶσι, καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα, & quæ ſequuntur, id eſt. Qui ſibi perſuadent & credunt vera eſſe, quæ à nobis docentur, &c.) Nunc generatim de tota primorum Chriſtianorum vita diſſerit, poſteà quam de ea per partes diſputauit, vt eos innocentes eſſe demonſtret, ob eámque cauſam iniuria vexari exagitaríque ab omnibus doceat. Locus hic ad orationem extremam maximam legentibus voluptatem afferet. Deſcribit enim & depingit quaſi in tabula primorum diſciplinæ noſtræ hominum viuendi publicè rationem, cœtúſque quos feſtis diebus celebrabant. Multa etiam dicit Tertullianus in eandem ſententiam cùm multis aliis in locis, tum in Apologetico, & 2. libro eorum quos ad vxorem ſcripſit.

ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεθήκαμεν. καὶ εἰ μὲν δοκεῖ ὑμῖν λόγου καὶ ἀληθείας ἔχεσθαι, τιμήσατε αὐτά, &c. id eſt. Quæ vobis quoque conſyderanda permittimus: ac ſi vobis rationi veritatíque conſentanea videntur, ea comprobate, &c.) Concluſio eſt tantùm loci quo de Chriſtianorum ſacris & myſteriis, vitáque cõmuni diſputauit. Neque enim peroratio eſt vlla totius orationis, qua oratores vti ſolent breui eorum omnium quæ dicta ſunt, aut præcipuorum capitum enumeratione, & commiſeratione.

καὶ ἐξ ἀποστολῆς δὲ τοῦ μεγίστου, &c.) Nõ eſt dubium quin ἐπιστολῆς legendum ſit. Ex epiſtola Adriani Antonini Pij Patris, quaſi ab eius præiudicio Chriſtianos quæ petant de iudiciorum ratione, æqua eſſe demonſtrat: & tamen non quòd ita iudicatũ ſit ab Adriano, ſe hoc petere illorum nomine dicit, ſed ſe verba feciſſe, quòd ſe quæ iuſta & æqua ſint poſtulare ſciant. Perorationis vim obtinet, qua idem petit, quod principio orationis, vt de Chriſtianorum vita quærant, ac ſi qui conuicti fuerint maleficij, ij vt ſceleſti puniantur non vt Chriſtiani: ſi qui conuicti maleficij minimè fuerint, vt Chriſtiani abſoluantur. Quod quidem & tum principio orationis fecit, & nunc extremo facit, fretus Chriſtianorum innocentia. Nulla eſt nota perorationis, qua potuit vti, ſi dixiſſet. Quæ cùm ita ſint, aut alia eiuſdem generis. Hoc autem intelligendum eſt, ſolam Adriani à Iuſtino poſitam eſſe epiſtolam: duas autem quæ illam ſequuntur, non à Iuſtino, ſed ab alio additas eſſe, quòd eas ad rem pertinere cerneret. Hoc declarant nomina eorum qui eas miſerunt, id eſt Antonij Pij, & Marci eius filij. Si enim eas iam tum ſcripſiſſent, cùm hanc orationem dixit, prolata Adriani epiſtola, dixiſſet eorum etiam epiſtolas patris confirmare ſententiam, iíſque prolatis & recitatis, rogaſſet, vt quod iam ſibi faciundum de patris ſententia cenſuiſſent, idem in poſterum facerent, ne à ſe ipſi diſcreparent. Quæ quidem me admonent, vt credam, Antoninum pium, & hac Iuſtini oratione, & aliorum religionis noſtræ hominum orationibus adductum, eam

quæ